Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Duerrfeld

Jacobi Durfeldi Antidotum, Quo Errores Et Maledicentia Nasturtii Venenati Johannis Assueri Ampsingi D. & P. Medici compescuntur, & Arminiano-Calvinismus eius plenius & clarius detectus eliminatur

Rostochi[i]: Hallervordius, 1628

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730407276

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730407276/phys_0001
DFG

L. A – M.

F. g – 3724.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730407276/phys_0002
DFG

JACOBI DURFELDI ANTIDOTUM,

Quò

ERRORES ET MALEDICENTIA NASTURTII VENENATI JOHANNIS

Assveri Ampsingi D. & P. Medici compescuntur, & Arminiano-Calviniſmus ejus plenius & clarius detectus eliminatur.

PROVERB. 15. v. 2.

Lingva sapientum decorabit scientiam: & os stulti loquitur stultitiam.





ROSTOCHI

Prostat apud JOHANNEM HALLERVORDIUM Bibliopolam, Anno 1628.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730407276/phys_0003
DFG

VIRIS ADMODUM REverendis, Nobilissimo, Præclarissimq; atque excellentissimis:

Dn. BARTHOLDO KRAKEVICIO
Dn. JOHANNI GERHARDO
Dn. POLYCARPO LYSERO
Dn. JOHANNI GISENIO
Dn. JOHANNI HIMMELIO
Dn. JUSTO FEVVRBORNIO
Dn. HENRICO HOPFNERO
Dn. PAULO RÖBERO
Dn. JOSUÆ STEGMANNO
Dn. CÆLESTINO MISLENTÆ.

S.S. Theol. Doctoribus celeberrimis ac respectivê in Academijs inclutis, Lipsiensi, Gryphisvvaldensi, Wittebergensi, Marpurgensi, Salana, Regiomontana & Rinthelienſi Facultatis Theologicæ Senioribus ac Professoribus laudatissimis: Itemq; Ecclesiarum & respectivê regionum, ut Ducatus Pomeraniæ, comitatus Holsatiæ, Schaumburgici &c. Pastoribus, Ecclesiastis & Superintendentibus longê vigilantissimis, dexterrimis:

Dnn. Præceptoribus, Promotoribus, Patronis, amicis & Fautoribus meis jugi reverentia colendis & suspiciendis, D,I,C,O.

DIvinis extollit laudibus, Viri admodum Reverendi, Nobiliſſime, præclariſſimi, Excellentiſſimiq; , Pſaltes Regius 133. pacem auream, quam rori fœcundo decidenti de montibus Hermonim ſuper montes minores & ipſum ſionem confert: qui terram fœcundat, fructus exhilarat & rebus odorem bonum conciliat. Confert eam præterea balſamo ſive unguento ex variis aromatum precioſiſſimorum ſpeciebus Exod. 30, 23. deſcriptis, compoſito. Ut enim unguentum odorem ſuavem & jucundum adferebat toti tabernaculo & templo Domini: ſic pax cœleſtis, pax Eccleſiæ, itemq; politica odorem ſuavem DEO exhibet, odorem optimum ſalutiferumq; præbet hominibus. Utinam quemadmodum toga ſacerdotalis Aaronis triplex, triplici colligabatur baltheo, ita charitatis glutine & amoris vinculo coaleſcerent omnes, quoquot in cœtu Chriſtianorum degunt viſibili. Tum verè gauderemus & triumphantes exclamaremus, eſſe omnia tuta & ſalva; quod conjunctionis neceſſitas func amoris colligata triplici, difficulter distrumperetur, Eccl. 4, 12. Ad ejuſmodi quidem charitatis unitatem & glutem ſuave hortatur nos Apoſtolus Eph. 4. inſtigat Zacharias c. 8. 19. inquiens: Diligite veritatem & pacem. Verumtamen cum dolore experimur,

multos à pace & veritate abhorrere, delectari turbis, rixis, heterodoxiis; atq; iis nihil esse in votis majus, nihil antiquius, quàm ut possint unanimes armare in prælia fratres, inter amicos μῆλον ἔριδος conjicere, in Ecclesiis beneq; constitutis Rebusp. excitare tumultus & discordiam. Quod servator mundi severè prohibuit Cant. 2. 2. 15. 7. & Matth. 18. 6. Paulus ejusmodi homines exsecratur Gal. 5. 12. Habent igitur omnes, quotquot est cordi pietas & timor Domini, cũ omnibus hominibus pacem, non quantum volunt, sed, ut jubet Apostolus Rom. 12. 18. quantum in ipsis est. Colamus ergo pacem usq; ad Aram, non ultra. Nam ita pax colenda, ita tranquillitas diligenda, ne veritatem amittamus, & dum mundi pacem habemus, Dei perdamus, atq; æternam cum temporali commutemus. Id autem ne fiat ita defendenda veritas, ut pax haberi & conservari possit.

Quomodo verò, qui sunt ex veritate Joh. 18. 39. 1. Johan. 3. 19. excipiantur, ostendit Psaltes divinus Ps. 120. 7. suo exemplo demonstravit Elias. suis scriptis, calumniis & machinationibus mundo notum fecerunt Papicolæ & Calviniani. Latinorum poëtarum princeps figmentum memorabile de Caco prædone & latrone Italo, cujus speluncam sub monte Aventino collocant authores, refert. Quippe cum Hercules boves ablatos inquireret, quæsitos inveniret, ac tandẽ, ubi

Specus

Specus & Caci detecta apparuit ingens
Regia & umbrosæ penitus patuêre cavernæ.
Alcides hominem telis premeret: ille, postquam
fugæ locus non supereret, ut Vulcani filius
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitq; domum caligine cæca.
Quicquid autem molitur, frustra contra Herculem molitur; Vani doli, vanæ artes lubricæ: Nam ipse it contrà audentior, seq; ipsum præcipiti gradu dejicit, &
Cacum in tenebris incendia vana vomentē
Corripit in nodum complexus,
& monstrum semihominis interficit: ut canit Maro l. 8. Aeneid. Naturam Caci, præter alios, redolent hæretici, conviciatores & mendaces. Primo namq; dolis & impuræ doctrinæ involucris accedunt, & Christo suas oves eripiunt, aguntq, vulpes. Deinde verò pios Christianos falsis dogmatibus occidunt. Ne autem pij speculatores illis resistere possint, in veritatis testes ignem & iram venenatæ linguæ, conviciorum & mendaciorum evomunt, fumum & fucum nebulosorum argumentorū & jactantiæ emittunt, seseq; more Protei, in formas habitusq; varios transformant: quo facto, ceu capite Medusæ obverso, auditores in lapides & stipites vertuntur, in laqueis constricti hærent, & veritatem propugnantibus aditus auxilij ferendi præcluduntur.

Quos tamen illi more Herculis, verbi gladio & prudentia decenti Zeloq; magno sibi adaperiunt. Si quis hujus rei documenta expetit, non opus est, ut ex veteri Ecclesia petat, cum nostro seculo infinita suppetant. Quin unus, qui nostra tranquilla loca turbat, atq; arte sinonia imponit piis, consideretur, mores & scripta ponderentur: non desiderabit alium, quo rem probet. Seminat ille doctrinæ Zizania, sed accusatus & refutatus, alios blandis verbis corrumpit, alios verò sibi ἀντιλέγοντας turpibus proscindit conviciis, mendaciis, calumniis. In illis, quoniam fugæ locus alius ei non superest, omne præsidium & robur ponit, omnemquè victoriam in dente theonino collocat. Hic ejus ignis γοητικὸς, hîc amentiæ fumus & præstigiæ. Verùm ut nec Herculem fumus & ignis, sic veritatis Athlethas fumus & ignis demens hæreticorum terrebit, nedum ab officio remorabitur. Id quod suo exemplo nos docuit Elias & Prophetæ reliqui, suo jussu & vita præscribunt Christus & Apostoli, suo zelo primitivæ Ecclesiæ patres, Lutherus & ipsius γνήσιοι discipuli animabunt. Quemadmodum autem hîc non est cacus & Hercules, sed callidus quidem, licet imbecillis sophista: sic opus est minimè viribus Herculeis: sufficiunt parvæ & contemptæ, quibus constratus humi, surgere nequit Antagonista.

Ego

Ego verò, cum sim ex postremis & minimis, qui sub vexillo Christi militant, ad Vestras Reverendas admodum dignitates, nobilitatem & claritates, observanter accedo, Vestro divino judicio hasce controversias dijudicandas exhibeo, Vestræ Censuræ subjicio. Cum enim sitis Ecclesiarum nostrarum lumina maxima & columnæ per Dei gratiam immotæ, propugnatoresq; veritatis solidi & invicti: hîc facilè pretiosum à vili separabitis, triticũ à Zizaniis seligetis, verumq; à falso distinguetis. Proinde obsecrantur oro atq; contendo, ut hasce chartas, datâ occasione, perlustrare, & veritati laboranti succurrere, ac testimonium perhibere ne gravemini. Quas simul, licet sat tenues & viles, ut pignus & testes cum observantiæ tum gratitudinis Vestrorum meritorum in me collocatorum, itemq; benevolentiæ & favoris mihi exhibiti, Vobis sisto, atque ad pedes vestros reverenter depono. Vos autem æquis oculis aspiciatis, manu placidâ suscipiatis, meq; juvare, amare & promovere pergatis majorem in modum peto. Dabam Rostochi, anno χεσιονίας:

Da nostrIs paCeM regnIs eX aXe IehoVa.

Vestras Reverendas admodum dignitates, Nobilitatem & Claritates observanter colens

Jacobus Durfeld. O. W.

ERRATA,

Quæ propter Authoris absentiam, non pauca, irrepserunt sic corrigantur. Litera B. lin. 5. à fine, lege, venenoso facie 2. l. 3. pueros l. 9 cornua lit. B. 2. l. 20. Dutroa. l. 5. l. 275 fac. 2. l. 6. obfusas. B. 4. l. 8 naturæ à Deo conditæ. l. 14. voluntatem. B. 5 l. 24 citatus. B. 6 f. 2. l. 18. hypocritas l. 22 Achitophelis. l pen. examinemus. B. 7. l. 20. πολυθρυλλητον. f. 2. l. 21. petamus. B. 8. l. antepen. angiportum. lit. C. 2. l. 10. Φύσεως l. 24. γνησίως. l. 25. Hieronymus. C. 5 l. 11 concesso. C. 6. f. 2. l. 5 affectus C. 7 l. 3. tamen. l. 7 videntur. C. 8 l. 2 excitet. 2 l. 18. quales, lit. D. f. 2. l. 8. cooperetur. D. 2. l. 2. Arminianorum l. 3 simsonis. D. 3 l. 3. contemptæ f. 2 l. pen perpetrarent. D. 5. l. 15. Φόρῳ. l. 19. hemisphærium. f. 2. l. 12. in D 6. l 21 ipsi. l. 22. purorum. D 7. l 12. non concreaverat l. pen. rectæ. f. 2. l. 8. fingunt l. ult ἐννομία. D. 8. l. 2 Atqui f. 2. corrupti. lit. E 12. qua l E. 2. l. 9. post. Nasturt. insere, notetur. l. 21. ait conditam. f. 2. l 19. l 10. l. pen. l. eum. E. 3. l. 15. Paraph f. 2 l. 3. salvatas l. 4 ins. contra, post verba, à nobis. 9. affingit E. 4. l. 4. inser. gratum. l. 6. considerata f. 2. l. 5. apprehenso l. 13. candidum l. 16. del. Christum E. 5. l. 4. percipiat l. 3 illas. f 2. l. 6. Rhetorica. E. 6. l 11. dijudicanda f. 2. l. ult supernaturali. E. 7. l. 16. recreetur. f. 2. l 15. generis l. 18 supernaturalis. lit F. 2. l. 7. ins causæ l. 21 motam. f. 2. l. 1. sanctus l. 4. 10. 23. Atqui F. 3. f. 2. l. 19. συντελέσειν. F. 5. l. 25. concurrit. F. 6. l. 25. συνεργίαν F. 7. l. 9. creante. F. 8. f. 2. l. 17. Hac l 26. scribente G. 2. l. 5. monachi. l. 12. participent. G. 3. l. 25. à fine Ideoq. G 4. l ult. supponit. f. 2. l. 5. à fine creare. G. 5. l. 3. ejusmodi. G. 7. l. 7. Gen. l. 11. moti. f. 2. l. 1. gremio G. 8. ἐνοχλοῦσα. f. 2. l. 1. fures h. f. 2. l. 9. negetur. h. 4. f. 2. l χρόνῳ. l. 16. navū. h. 5. l. 6. post; negavi, inf. et. H. 6. f. 2. l. 18. applicant l. 20. Dunaumus. lit. I. 2. l. 8. ins. in causa. I. 4. f. 2 l. 6. Agendas. I. 5 f. 2. l pen refutaturus. Reliqua facilè suâ operâ corriget L. B.

VEriſſimum eſſe, quod vulgatum habet diverbium, reipſa experior; videlicet, *quod mali ovi ſit malus pullus.* Ejuſmodi ovum eſt D. JOHANNES ASSVERUS AMPSINGUS, qui tempore nuperi ſui Magiſtratus Arminiano-Calviniana dogmata & paradoxa hic publicè diſſeminavit, & noſtras tranquillas ſedes novis turbis perturbare conatus eſt. Erroribus verò ipſius modeſto & pio zelo ex ſcriptura & libris noſtris ſymbolicis, ſuppreſſo, honoris cauſa, ipſius nomine & alio minimè ignominioſo, ſubſtituto, refutatis; Ipſe non tantùm erroribus non valedicit: ſed inſuper audacius cum inſigni atq; inaudita ferè maledicendi & convitiandi virulentia in *chartabella ſua Satyrica*, me inſectatur, & maledictis, convitiis, mendaciis, calumniis, ſannisq; invehitur. Quæ ipſi in jugulum, refundo; Imò in ſinum & cor (ex quo, proh dolor hóminibus, velut veneroſo fonte, *prodeunt, cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, falſa teſtimonia, obtrectationes,* Matth. 15, 19.) jure retorqueo. Quippe in illud veriſſimè & propriiſſimè ſpectant & quadrant omnia.

Terrere me cogitasti tua virulenta maledicentia, D. Ampsinge, sed frustra cogitasti. Pueror ea, velut capite Medusæ obverso, terreas; me non plus terrebis; quam rana coaxans, aut corvus aliquis crocitans me commovet. Hoc semel responsum sufficiat: Me non cum convitiorum monstris luctaturum, quæ cum quemvis virum honestum in omni vitæ genere constitutum, dedecent, tum Christianum, Ephes. 4, 25. 31. atq; imprimis Theologum, 1. Tim. 3, 3. Tit. 1. *D. Ampsingus* verò si vult, maledictorum, mendaciorum & calumniarum Doctor celeberrimus, salutetur. Quamvis optarim, ut quemadmodum populus sanctus Jordanem transgressus fuit *secundò* circumcisus (qui tamen antea non erat circumcisus) sic D. Ampsing (quod in Belgio & apud Jesuitas fieri non solet) ad nos transiens *secundò & verè* fuisset circumcisus eorum, os, linguam & cor; & ita veram pietatem induisset aut adhuc indueret.

Porrò: Rapsodia *Ampsingana*, contra *Recessus* Imperij, suppresso nomine Typographi, qui est *August. Ferb.* prodit, se natam mentiens, non anno 1628. sed 1528: scil. homo callidus vidit autorem secum, obscriptum putidum, calumniosum & hæreticum, non magnam laudem apud bonos reportaturum.

Non

Non scribo hæc, testor Deum, quod lucem fugiam, atq; Adversario respondendi potestatem invideam: sed quod hic locus illustris, ejusmodi editis rapsodiis, magnâ afficiatur ignominia, magno dedecore.

Inscribit autem *D. Ampsingus* chartabellam suam famosam, *Nasturtium contra Strygnium*, De *Nasturtio* scribit Dioscor. libr. 2. cap. 149; Item de Strychno & Solano esse diversas species, effectis compluribus præditas *Dioscor.* lib. 4. cap. 66. atq; ex eo *Matthiolus*. Quid igitur intendat D. Ampsingus vix conjecturando assequeris. Opponitur autem Nasturtio primò in vi somnificâ, ut innuit *Matthiolus* Tom. 2. fol. 418. & 421. 2. Habet vim μανικὴν, furiosam. 3. Mortiferam: Quippe quatuor ejus drachmæ intra corpus receptæ, mortem, si pauciores, insaniam inferunt. Habet & complures alias vires. Hugo de Lynscott ait esse herbam, (Indis Dutrea dicitur) quam Indicæ mulieres rem habituræ cum viris alienis, maritis exhibeant, ut in furorem amentiamque conversi adulteria conjugum spectent, nec impediant. Similia indigitat *Erasmus* in Adagiis fol. 274. 475. Adagij verò rationem ipsi Ampsingo melius convenire, quam mihi, omnino mihi persuadeo. Miror autem, cur D. Ampsingus herbis amatoriis

adeò delectetur? Fortassè *ut suo sus furfure* sapienti tria verba.

Verùm ad rem: Conatur quidem me *D. Ampsingus* à scopo & materia ad sua convitia abducere, ac rem ipsam in verborum litigium convertere; Quo lectori suo, serpentina prudentiâ struat insidias: Ne ipsius in respondendo imbecillitatem atq; in eruditione egestatem perviderent & olfaciant: Verùm frustra conatur. Cordati namq; fucum sentiunt. Ut igitur sobriè & prudenter Adversarium in carceribus contineam, more *Tertulliani*, cum hostibus veritatis congressuri, certas quasi lineas ducam, quas non transeam. Quare ξὺν Θεῷ *Primò* agam de reipsa ac nebulas ab Antagonista obfuras, dispellam. *Secundò, Personalibus*, quantum necesse est, respondebo.

De Prima Parte.

Caput I.

De Distinctionibus Gratiæ.

VUlgò fertur, sepiam captandam humore misso turbido sese abscondere: Quicum illud Christi convenit Johan. 3.

Qui

Qui mala facit, odit lucem. Hujus rei vivum exemplum cum suis Arminianis exhibet *D. Ampsingus.* Depravaturus enim doctrinam de lib. Arb. *Scholasticorum distinctiones* gratiarum rancidas, nostrisq; hominibus vulgò non intellectas, ab orco revocat eisq; tanquam novam pulchram Minervam regenerat. Constat quidem *B. Augustinum* his gratiæ distinctionibus, rectè & magnâ cum dexteritate ac fructu contra Pelagium fuisse usum: Sed postmodum à Sophistis, Scholasticis, Jesuitis; & nunc ab Arminianis esse miserè & veteratoriè corruptas: Qui sub illis suum venenum abscondunt, atq; incautis præpinant. Exempli gratia: Areopagitæ Interimistici voluerunt, quod, ut homo ex somno excitatur, sic voluntas habeat facultatem in spiritualibus operandi tantum, quo homo quasi cessans, torpescens, & somnolentus excitetur. Quod non meis, sed his *Dn. Chemnitij* verbis refuto: *Sed* hic, inquientis *ludus* (Pontificius & Arminianus) *etiam Sophisticus & Pelagianus est. Scriptura enim illud: Surge, qui dormis, ita interpretatur: suscitare à mortuis, Ephes. 5. v. 14.* Hæc ille. Unde & conversio per creationem, tanquam merum opus divinum effertur, Psal. 51. v. 12. Quod fit, *cùm* mutatione cordis saxei in carneum, Ezech. 11, 19. c. 36. v. 26.

tùm divino semper assistente adjutorio. 1. Corinth. 4, 7. *Quid habes, quod non accepisti?* Non dicit Apostolus voluntatem habes, quæ excitatur, ut velit: sed simpliciter, Quid habes &c. Neq; istum locum quicquam naturale admittere, *August.* lib. de Prædest. sanct. ex contextu demonstrat. Similiter Phil. 1. v. 6. inquit Apostolus: *Qui cepit in vobis bonum opus, perficiet.* Non dicit, Deus incepit, nos adjuvamus perficere: sed Deus solus perficit, nos nihil adferimus ad opus conversionis. Atq; hæc gratia ab *August.* vocatur Præveniens sive Antecedens, Quod verbum ex Psalm. 59. v. 11. Psal. 119. Psal. 21, 4. aliisq; locis & libris scripturæ fuit haustum. Ac propterea *August.* lib. 4. contr. Julian. cap. 3. bonam dicenti naturam (intellectum & voluntatem) ita respondet: *Gratanter audirem, si hoc propterea, quod rationalis natura est, diceret: Neq; enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusve præstatur.* Et post pauca: *Non ergo quia illis est bona voluntas, sed ut convertatur in bonam voluntas mala, quoniam præparatur voluntas à Domino, &c.*

At quæ est hæc præveniens gratia, qua nos prævenit Deus? Nunquid etiam gratiâ creationis sive notitiis naturalibus? Id certè statuerunt Semipelagiani apud *Prosper.* collat. 22

pag.

pag. 379. 380. Qui error in *Admonit.* mea pagin. 44. th. 32. & seqq. fuit explosus. Et *D. Prosper.* respondet pag. 382. *Nihil boni operis ex mortuis, nihil justitiæ procedit ex impiis, tota ipsorum salus gratia est.* Et postea subjicit: *Hanc sapientiam* (Rom. 1 & 2. capp. descriptam) *humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura à Deo condita superesse* (non ex supernaturaliter inditis) *reliquiis.*

Sequitur II. *Gratia præparans; qua mens & voluntas à Domino præparatur: Ne repugnet Spiritui Sancto: sed assentiatur & obsequatur.* Exempli loco sit Lydia, Actor. 16, 14. quæ initio quidem habebat voluntatem bonam, initium & propositum: Veruntamen nonnisi Domino cor aperiente convertebatur. Huc pertinent loca scripturæ, hanc vim non esse naturalem, sed supernaturalem, ostendentia. Ceu Phil. 1, 29. *Vobis datum est, ut credatis.* & Joh. 6, 44. *Nemo,* inquit Christus, *potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Quod fit fide, vers. 64. & Ephes. 28. *Gratia Dei salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est.* Huc quoq; referenda est circumcisio cordis spiritualis, Deut. 30, 6. & donatio fidei *juxta mensuram,* Rom. 12, 3. Quicquid igitur in conversionis negotio *vel* menti vel voluntati adscribitur, Dei gratiæ, ut causæ solitariæ nos præparanti, adimitur.

Multò minus suasio Moralis sufficit. Nam audito verbo, non ex sese potest homo liberè assentiri Deo: Cum *Φρόνημα*, sapientia, prudentia, affectus *& sensus carnis, sit inimicitia adversus Deum*, Rom. 8, 7. *Vipera*, quoad cor Rom. 3, 13. tantum mala *fingens & meditans omni die*, Gen. 8, 21. cap. 6. vers. 5. *Operatur enim Deus solus velle & perficere.* Conf. *August.* de prædest. sanct. lib. 1. c. 3.

III. Proxima dehinc est *gratia operans, à cooperante verè distincta: Qua facit Deus in nobis conversionem & operatur, ut credamus.* Hic primò illuminat Deus intellectum, non tantum ostendendo; quæ est Pelagij & Sophistarum mens: sed ejusmodi illuminatione, qua ex excæcato fit videns. Operatur enim & dat Dominus oculos mentis illuminatos. Ephes. 1. v. 18. 2. Cor. 4, 6. Psal. 119, 24. Ut enim cæcis visum restituere est operatio miraculosa solius Dei; sic & hominis illuminatio est divinæ potentiæ. *Secundo:* renovat voluntatem operatione, quâ cor saxeum mutat in carneum & recreat, Ezech. 36, 26. cap. 11. v. 19. Jerem. 32, 23. Esa. 43, 15. 19. Psal. 51. v. 12. 2. Cor. 5, 17. ut probemus, *quæ sit beneplacens voluntas Dei*, Rom. 12, 2. *dat facultatem ex animo obediendi Deo*, Rom. 6, 17. *Tertiò:* Renovat vires & membrorum affectus, ut obediant

diant menti & voluntati. Non igitur moralis suasio hæc efficiet. *Concilium Arausicanum* nobiscum consentiens ita decernit Canon. 9. *Divini muneris est cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq; nobiscum, ut operemur, operatur.* Et *August.* libr. 1. Retract cap. 9. *Quæ omnia bona & magna & media & minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est & in magnis numeratur bonis.* Et Fulgent. l. 1. ad Monim. *Ipse ergo facit, ut faciamus; quo in nobis operante sit omne opus, quod facimus, &c. propterea nullatenus sinimus, imò salubriter prohibemus iam in nostra fide, quam in nostro opere, tanquam nostrum aliquid vendicare; dicit enim vas electionis, Quid enim habes, quod non accepisti?*

Restat gratia *cooperans, quæ post conversionem nobiscum cooperatur, adjuvat nostras infirmitates, & subsequitur conversionem ac priorem gratiam.* Unde & cooperans, adjuvans & subsequens nominatur. De qua etiam modò citatur Arausic. canon loquitur: Nam etiam renati sine Christo nihil possunt facere, Joh. 15. v. 5. Locus est insignis, 1. Chron. 29. v. 13. 14. 15. *Nunc ergò Deus noster,* inquit David, *confitemur nos tibi & laudamus nomen gloriæ tuæ.*

Etenim quis ego sum, & quis est populus meus, ut obtineamus vires ad sponte offerendum sicut hoc. A te enim sunt omnia, & de manu tua dedimus tibi. Peregrini sumus coram te & advena, &c. Ac Rom. 8, 26. *Spiritus simul sublevat* (vulgatus, adjuvat, Συναντιλαμβάνεται, cujus sensus est, quod velut fulcra pueris ambulare in infirmitate conantibus submittuntur, sic se nobis submittat, autore *Beza*) *infirmitates nostras. Quid enim oremus, ut oportet, non novimus: sed ipse postulat* (intercedere nos facit) *gemitibus inenarrabilibus.* Confer & Psal. 27, 9. Nam *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12, 9. Ipse currentes subsequitur, ne labamur, Eph. 4. v. 13: sed pergamus, *donec apprehendamus*, 1. Cor. 9, 24. Phil. 3, 12. Huc pertinent omnes Davidis & sanctorum preces auxilium, liberationem & gratiam defensionemq; implorantium. Adeoque precatio Dominica ferè maxima ex parte auxilium, adjumentum & gratiam cooperantem cum perseverantia flagitat: Ut rectè monet *August.* libr. de persever. sanct. Nam ut idem scribit lib. *de corrept.* & gratia cap. 12. ubi sensus est: *Si in tanta infirmitate vitæ hujus, renatis relinqueretur voluntas renovata, ut in adjutorio Dei, si vellent, manerent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua vo-*

luntas

luntas succumberet. Deus ipse portatione, velut aquilæ, hoc declarat Deut. 32. v. 11. apud Esaiam 46, 3. similitudine prægnantis, cui, ut fœtus, sic nos illi in vulva jaceamus & portemur; Et Christus similitudine lapsi inter latrones depingit, Luc. 10, 34. Quod exemplum *B. August.* lib. 3. hypog. circa medium, pulchrè illustrat. Hæc jam est *Gratia consequens, cooperans & adjuvans:* qua qui regi & duci se sinit, habebit donum perseverantiæ, & permanebit in domo Domini in æternum, Psal. 23. v. 1. 2. & ult. & Psal. 27. ferè toto.

Summatim de his distinctionibus egregiè & graviter disserens *Aug.* ita usum earum declarat contra duas Epistolas Pelagij lib. 2. c. 9: *Hominis,* inquiens, *propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* 3. *Studium quoq; hominis, quod dicitur bonum, quamvis esse cæperit adjuvetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus, Gratias autem Deo, qui dedit idem pro vobis studium in corde Titi.*

Hæ sunt veræ & genuinæ gratiæ distinctiones; adeoq; *unius gratiæ* in diversis, effectis & objectis diversæ considerationes: Neq; enim *alia* gratia nos Deus in tempore salvat, quam qua ab æterno nos salvare decrevit. Rom. 8.

v. 29

v. 29. cap. 16. v. 25. 2. Tim. 1, 9. Ephes. 1, 3. & seqq. cap. 3. v. 9. Nec *aliâ* & diversâ gratia excitamur, *aliâ* præparamur, *aliâ* adjuvamur, *aliâ* deniq; subsequitur: Sed una Dei gratia est, qua fide per verbum convertimur, stamus & salvamur, Rom. 3, 24. cap. 5. v. 2. c. 4. v. 6. Ephes. 2, 8.

In hac simplicitate vivere & permanere decuisset *D. Ampsingum*, ac piè cum nostris Ecclesiis consentire. Verum (quod mihi falsò pariter & falsò ex Jobo objicit) ne venter ejus sapientiâ tumesceret & creparet hæreticâ, atq; ante mortem faceret *aliquid gyaris aut carcere dignum*, virus suum evomuit. Quid multis? Experimur justum Dei judicium, qui hominem ante vitæ finem vult detegere mundo. Qualia multa possent proferri exempla, quibus senes quosdam hypocrytas & malos, *vel* insigni aliqua stultitia, *vel* scelere, *vel* hæresi maculasse senium, aut turpiter periisse probaremus. Conf. 1. Reg. 26, 28. 32. Esa. 22. v. 15. & seqq. Fabulam Susannæ, Architophelem, 2. Sam. 17, 23. Item Musculum Dusan. Gröpperum, Pelargum atq; alios sexcentos. Domestica verò quum sint odiosa, lubens prætereo.

Age verò examinemur paucis *Bellarmini & Ampsingi gratiarum (non gratiæ.* Sunt enim

rerum

rerum distinctarum confusa permixtio) distinctiones. Quibus pugnat uterq; contra veritatem, & latet anguis in herba. Quare enim alias *D. Ampsingus*, qui Augustanæ Confessioni vult addictus esse videri, his exoletis & rancidis Scholasticorum uteretur terminis. An non erant termini clari, & phrases Scripturæ in nostris Ecclesiis receptæ atq; usitatæ, quibus mentem & doctrinam proponeret: Ut Scholasticorum, Jesuitarum atq; Arminianorum esset opus armatura, verbis & signis? Nunquid *non erat Deus in Israël, ut ad Baalzebub consulendum* confugeret? 2. Reg. 1. v. 2. O boni & cordati quotquot estis! Cum non auderet *D. Ampsingus* verbis claris venenum suum effundere sub explosis & sophisticis Scholasticorum distinctionibus latitans veritati tenebras offundit; Quibus sibi laudem; ast Ecclesiæ ac doctrinæ ruinam quærit. Nostis illud ex experientia πολυθρύλητον: *Qui nova verba fingit, simul nova dogmata gignit.* Quid verò *D. Ampsingus?* Docuit & aperte hæretica, & obscure sub novis phrasibus molitur hæretica.

Verùm cominus cum eo congrediamur. *Accuratior*, inquit in *Nast. gratiarum divisio est apud Scholasticos in æternam & temporalem.*

Resp.

Resp. Cur accuratiorem dicit esse apud Scholasticos, quam apud Augustinum & alios Patres? Cum apud *hos* ex scriptura illarum purus fuerit usus; apud *illos* verò in stropharum officinam degenerarint? Illis gratiam Dei depravarint? Vires liberi arbitrij extollant & stabiliant? Pelagianismum pallient? Quod est grave & prudens judicium Parei in *Explic.* lib. 1. Bellarm. de grat. & liber. arbitr. pag 34. Conferatur quoq; *Chemnitius, Gerhardus, Meisnerus, Danæus, Chamier,* atq; alij complures.

Verùm quæ sunt harum gratiarum definitiones & quid sunt? *D. Ampsingus,* ut latere & fugere lucem turius posset, eas non definivit. Cum verò distinctiones suas ex *Bellar:* Jesuita verbotenus exscripserit, & ad Scholasticos non semel provocet eosq; laudet: adeoq; certum sit arare ipsum cum vitulis Pontificiis: res ipsa hortatur, ut ex *Bellarmino,* unde exscripsit, definitiones petamus. Itaq; gratiam æternam definit Jesuita *amorem, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa æternitate dilexit, in cujus gratiæ laudem & gloriam nos à Deo prædestinatos esse atq; electos in adoptionem filiorum testetur Apostolus Ephes. 1, 6.*

Resp. Miseri sunt logici & Theologi, qui ita definiunt, ad trivium relegandi. Primò enim

enim est angustior suo definito definitio. Nam gratia Dei est *vel* creationis, qua ex mera misericordia Psal. 104, 27. Psal. 145. v. 9. omnia in mundo bene admodum & sapienter condere, Gen. 1. v. ult. inprimis verò hominem ad suam imaginem, ibid. vers. 26.27. eiq; providere & benefacere decrevit. Act. 15. v. 18. Psal 104, 28. 2. *Alia* (videlicet respectu objecti. Nam in ipso Deo est nonnisi una) *redemptionis*. De qua loquitur Christus Joh. 3. v. 16. Gen. 3, 15. *Alia* 3. est *sanctificationis*; qua ex gratia Dei merâ meritum Christi per verbum fidei nobis offertur & proponitur. Cujus Paulus meminit Tit. 2, 11. 2. Tim. 1, 9. Actor. 17. Item in salutationibus, exordio & fine suarum Epistolarum. 4. *Alia est specialis* gratiæ consideratio; qua sancti & electi sunt dilecti, Rom. 8, 18. Ephes. 1, 3. prævisi, vocati, justificati & glorificati, Rom. 8. v. 30. qui proinde electi vocati vocantur. *Deinde:* cum decretum Dei ab executione non differat; utique gratia æterna temporali deberet esse adæquata. At bone Deus, ubi tum manebit gratia *creationis* Ampsingana? Quæ tamen rectius notitia Dei naturalis diceretur. Ubi gratiæ aliæ? Angyportum exhibes, *Ampsinge*, prolato campo. Reale item discrimen inter gratiam æternam & temporalem fingit. Quod

supra

ſupra fuit refutatum. 3. Quam Bellarminus definit eſt ſpecialiſſima: ut quid eam cum generali confundit?

Gratia temporaria (inquit Bellarminus) *dicuntur beneficia vocationis & juſtificationis, quæ ex æterna, ut effectus ex cauſa, derivatur. Quod probat ex Rom. 8, 30.*

Reſp. Hæc quoq; eſt verius umbra, quam definitio. Annon enim gratia temporalis, quia fluit ex æterna, deberet omnia, quæ ab æterno nobis ſunt data & decreta, adæquatè offerre & exhibere in tempore? Ubi nunc, quæſo, manet gratia dilectionis temporalis erga angelos & homines? Ubi amor beneficentiæ adverſus omnes creaturas? Ubi totius mundi, cui datus filius? Joh. 3, 16. Ubi Sanctorum temporalis? Joh. 13, 1. c. 14. v. 21. c. 6. v. 27. 2. Beneficia vocationis & juſtificationis non ſunt ipſa gratia, ſed effecta gratiæ Dei: quippe gratiâ Dei ſumus ſalvati, Epheſ. 2. v. 9. juſtificamur gratis ex gratia, Rom. 3, 24. 2. Tim. 1. v. 10. Quæ omnia Theologaſtri iſti confundunt. Quod ſi non accurate definiri gratiam diceret *D. Ampſingus*, ſed Metonymicè effecta gratiæ dici gratiam, toleraremus, ſed hoc illi nolunt: quippe eſſe qualitates infuſas nobis inhærentes contendunt.

Temporaria (gratiæ videl. accuratior diviſio

visio est) *in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Gratia gratis data* Bellarmino, *est donum supernaturale, absq; ullo debito, ad aliorum spiritualem salutem præcipuè collatum*, 1. Cor. 12, 4.

Respondeo 1. Hæc distinctio est 1. Scripturæ, 2. Antiquitati, ac 3. Ipsi *Lombardo* incognita; quippe nihil de illa annotavit lib. 2. dist. 35. 26. puta in sensu Jesuitico & Ampsingano. Nam in sensu Scripturæ agnoscit. *Gratia gratis data* propriè gratia dici nequit: Siquidem Scriptura perpetuò inter gratiam & donum Dei gratiosum discrimen facit. Locus insignis est Rom. 5, 15. c. 6. v. 23. 2. Tim. 1, 9. 1. Cor. 12, 1. & seqq. Gratiâ misericordiæ Dei, qua salvamur, propriè χαριν vocat; dona verò, quæ dantur sanctis, *Charismata:* eaq; *vel* omnibus sanctis dantur: ut fides, spes, charitas; Item sanctificatio, renovatio, &c. *vel* sunt *personalia*, quæ certis personis ad Ecclesiæ ædificationem conceduntur divinitus. Non de *prioribus* loquitur Scholasticorum gratia gratis data, sed de *posterioribus.*

At quare hæc dona vocant *gratias?* Originem & occasionem hujus venenati morbi & multorum errorum præbuit vulgata versio latina: quæ quod fons græcus sic effert: διαιρέσεις

διάσεις τῶν χαρισμάτων εἰσι. *Discrimina donorum sunt*, sic reddit: *Divisiones gratiarum sunt*. 1. Cor. 12, 4. 2. Finis est, ut *partim* Pelagianismum suum, & arbitrij vires stabiliant, *partim*, ut justitiam nobis cudant inhærentem: qua non merito Christi per fidem fiducialem applicato, justificemur: sed quatenus est qualitas, nobis inhærens. Qua ratione non fide sed operibus justificaremur. Videtis insidias ô boni!

Deinde: Distinctio in *gratiam gratis datam & gratum facientem*, non habet membra sibi invicem vere opposita. Est enim 1. omnis *gratia gratis data*, & nulla ex nostro merito vel industria habetur aut acquiritur, teste *Augustin.* l. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 6. Quod ipse *Bellarminus* agnoscit lib. 1. de gratia c. 2. Proinde ridiculè excipit, *uni speciei, quod proprio nomine careat, relinquatur nomen generis*. At verò cur illi, quod species gratiæ non est, generis nomen assignat? Imò frivolè agit. Quis enim illi, si vera esset species, nomen proprium, quo ab oppositâ, distingueretur, denegaret? Verum enimverò, quoniam differentia caret specificâ, cum genere coincideret, si vera gratiæ definitio ei competeret. 2. Omnis gratia, cum sit gratis data, faciet rectè usurpata gratum: Cur ergo speciei, quod

est

est generis, tribuunt? Ut 3. taceam; nullam esse inter hasce species veram oppositionem. Nam gratia gratum faciens, in significatione Jesuitica & Ampsinganâ, in natura prorsus est nulla. 4. In speciebus gratiæ gratis datæ enumerandis inter *Jesuitas & D. Ampsingum* cum Arminianis Cadmæa animadvertitur pugna. *Illi* enim tantum novem illas species, 1. Cor. 12, 4. & seqq. enumeratas pro veris agnoscunt & habent. *Hi* fingunt alias aut certè ad minimum aliam adhuc speciem: videlicet gratiam creationis, vel potius notitiæ naturalis igniculos in natura adhuc reliquos: Quæ species gratiæ differunt. 1. integris articulis in *symbolo Apostolico*. Nam *hi* ignes ad primum Articulum spectant, *illa* verò dona ad tertium, Ephes. 4, 8. 1. Cor. 12, 1. Marc. 16. v. 17. 2. *Illa* dona vocantur *naturalia*: Nam gentes (φύσει) naturâ faciunt ea, quæ sunt legis, Rom. 2, 14. Vox certè φύσιος verè naturam notat ipsam, idq; semper in N. Testamento: eamq; *vel* integram, *vel* corruptam: ut Ephes. 2, 3. ubi non est idem, quod ἀληθῶς καὶ γνησείος, ut sentit *Scholiastes* Græcus, nec φάντως, ut vult *Hyeronimus*: sed notat ipsam naturam corruptam. Ideoq; sensus est, omnes homines non imitatione, nec consuetudine,

sed ipsâ naturâ lapsa esse peccatores. Confer Gen. 3, 7. quo ipsius lapsæ probrositas statim apparet; item cap. 5, 3. Psal. 51, 8. Gal. 2, 15. Ita quoq; Rom. 2, 14. significat naturam lapsam quidem, sic tamen ut ad integræ thesauri & pulchritudinis reliquias respectum habeat. Quod etiam oppositio inter cognitionem *legalem* Mosaicam & *naturalem* cordi inscriptam evincit. *Ista* cognitio erat habitus exscripta lege haustus, *hæc* ex connata lege: *ista* ex supernaturaliter data revelatione, *Hæc* ex naturaliter sive duce natura revelata. His igitur naturalis cognitionis donis opponuntur *supernaturalia*, 1. Cor. 12, 4. & seqq. cap. 13. ex quibus miracula fides salutantur. *Illa* dicuntur naturalia, Rom. 2, 14. *Hæc* spiritualia 1. Cor. 12. Hoc cernens *Damasc.* lib. 1. de Orthod. fide cap. 3. sub initium probat Dei notitiam esse naturaliter mentibus hominum inseminatam, insitam atq; ingenitam. sed plura in *admonitione* sunt notata, p. 42.

Gratia gratum faciens est donum supernaturale, absq; ullo debito, ad propriam uniuscujusq; spiritualem salutem potissimum datum, 2. Cor. 12. D. Ampsingus in Prog. 11. April. affixo dicit esse illam, *quæ in regeneratione datur electis & veris Christi fidelibus.* Ne autem quis arbitretur, eum intelligere gratiam in verbo oblatam,

tam, ipsemet sese explicat in *Nasturt.* pagin. 7. scribens: *Quando autem homines per enormia peccata gratiam gratum facientem excutiunt, tum illo fine (salutari) excidunt. Erit igitur illi* cum Sophistis *qualitas* nobis inhærens & permanens. Quod *Bellarm.* contra Calvinū, Chemnit. Heshus. & alios gratiam & justificationem in qualitate infusa consistere cum Scripturâ negantes, magno, sed irrito plane conatu, propugnare desudat. Proinde B. L. observet, D. Ampsing. cum Jesuitis velle, 1. Justificationē in habitu infuso & nostra qualitate consistere. Fidem igitur vult non per fiduciam ex prædicamento *Relationis*, ubi reciprocè Deum apprehendat, sed *Qualitatis* esse definiendam: quicquid etiam prætexat; Unum enim ex altero, adeoq; ex his definitionibus temporariæ gratiæ gratum facientis, & speciebus ejus nonnullis per se fluit & patet. Verum enimverò justificationem non consistere in gratiâ gratum faciente, infusâ, nec esse qualitatem nobis inhærentem, apud Orthodoxos est in confesso. Quod hic prolixè probare non est operæ pretium: sed Christianum lectorem ad Chemnitij Exam. Concil. Trid. fol. 144. & LL. CC. f. 286. 287. & seqq. ac Dn. D. *Mentzeri* disput. 4. Antipstor. Dn. D. *Gerhardi* Tom. 3. L. C. & Dn. D. *Meisneri* Antropol.

tropbl. part. 3. adeoque ad ipsam *Apologiam* Augusti. conf. p 67. 81. 120. remitto. Item ad *Parei* explicat. horum Bellarmini tractatuum. *Chamierum* in Panstratia, *Martyrem* in L. C. *Sonij* tom. 2. &c. *Summa:* Gratia gratum faciens infusa Jesuitarum, Ampsingi & Arminianorum est nihil nisi fidei Christianæ eversio ac Diabolicum rei non existentis figmentum & Insulæ Uthopiæ.

Gratiæ gratum facientis (accuratior divisio. Quæ verba sunt semper ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda) *est in permanentem & auxilij specialis. Gratia permanens ait* Bellarm. *dicuntur habitus infusi fidei, spei, charitatis, ac præcipuè caritatis. Gratia auxilij specialis* (sic pergit) *definiri posse videtur, his verbis: Est motio Dei, qua homo ad operationes, qua naturam suam aliquo modo superant adjuvatur. Motio dicitur, ut distinguatur ab infusis & permanentibus qualitatibus.* Ideoq; in prædicamento *Actionis* non *Qualitatis* collocat.

Resp. Hæc gratiæ partitio non est absimilis ferreis digitis luto permixtis in Colosso Nebucadnezaris. Nam 1. gratiæ gratum facienti, figmento & Non-Enti, assuitur qualitas. 2. Gratiam gratum facientem ponunt in prædicam. *Qualitatis*; Gratiam specialis auxilij in *Actionis.* Nimirum juxta regulam, *Genus & species ponenda sunt in eodem prædicamento.*

Imò

Imò quod longè absurdius *unius generis species ad diversa prædicamenta* discerpit. Qui Solæcismus logicus tam à nostris quàm à Calvinianis Theologis exsibilatus, non erat cum canibus resorbendus. *Deinde* in specie respondeo: Quod gratia permanens non sit ipsa gratia, sed effectum gratiæ, Rom. 5, 2. Gal. 5. v. 22. sed nec semper in subjecto renato permanet, nequè apud omnes sanctos: quum quotquot, quorum sunt multi, quotidiè à fide excidunt, nec spem nec charitatem retineant. Interim si vera & genuina gratiæ esset species secundum quid tolerari posse non diffitemur. Verum *gratia specialis auxilij* cur peculiari nomine sic appellatur? Scribit autem Bellarminus quod *tribus* modis operatio aliqua naturæ vires superare possit. *Primo* absolutè, ut si ex genere suo operatio sit altioris ordinis, quam sunt res naturales: quales sint fides, spes, charitas: quæ non acquirantur per iteratos & frequentatos actus, sed divinitus infundantur. *Secundo:* Si non simpliciter, sed ratione status consideretur. Quomodo homo ægrotus non potest movere magnum lapidem, etiamsi adjutus ab alio, quem tamen sanus moveret: sic homo debilitatus in statu peccati multa nequeat sine speciali auxilio, quæ in integritatis potuisset. *Tertio,* ratione loci, modi,

temporis, personæ aut aliquarum circumstantiarum. Sic (exempli gratia) in motione lapidis plus potest quis utraque, quàm una manu; plus vel minus pro lapidis situ. His positis infert Jesuita 1. auxiliũ generale dari ad omnes actus, tam bonos quam malos: Speciale verò ad non nisi bonos. *Secundo: generale* detur à Deo, ut autore naturæ, per potentias naturales ad fines cum natura proportionem habentes: *Speciale* verò à Deo, ut gloriæ denotatore, ad ea opera, quæ naturæ vires excedunt, & ad finem sempiternæ gloriæ ordinantur. *Tertio: generale* auxilium sit aliquo modo debitum, *speciale* nullo modo. *Summa est:* Quod generale auxilium sit nihil aliud, quam Dei generalis in res creatas, & inprimis in homines, influxus. *Speciale* sit specialis influxus.

Itaq; resp. quod juxta Jesuitam uterq; influxus & quidem primus semper, secundus v. sæpissimè, referri possit ad articulum primum symboli Apostolici & providentiæ generalem & specialem operationẽ in naturâ. Qualem influxum statuere, respectu operum pietatis, ad Pelagianismum, Photinianismum, & Epicureismum prona & plana est via. Nos a. hic de influxu speciali & spirituali, respectu *tertij articuli*, loquimur: qui sit operatione Spiritus Sancti singulari, ac tali, qua non in omnes,

omnes, sed per verbum ordinarie in credentes agit, ac per id potenter operatur in non credentibus fidem & conversionem. Nam in homine in spiritualibus mortuo, saxeo, aversoque & Deo inimico specialis influxus respectu articuli primi ad spiritualia nullus est, nihil operatur. Quare ad differentiam resp. quod utrumq; auxilium, *vel*, respectu primi articuli sumatur: qua ratione duplex speciale nobis fingeret Jesuita *auxilium*, alterum in Christo, *alterum* sine eo. Quo concessu facilem haberent explicationem, quæ lib. 4. de gratia & libero Arbit. *de operibus moraliter bonis* disputat. vide etiam lib. 2. de amiss. gratiæ c. 12. & 18. Sed clarius hoc ipsum fatetur D. Ampsingus, statuens gratiam *prævenientem complecti gratiam creationis* (notitiæ Dei naturalis igniculos intelligit) *& gratiam excitantem atq; adjuvantem*. De quibus in seqq plura. *Vel* certe Jesuita auxilium speciale cum ipsa gratia confundit. Deinde: Secunda differentia vera est, modo fraus absit. Tertia Deo & scripturæ dicam scribit. Dei namq; sunt omnia, cœlum, terra & plenitudo ejus, Psal. 24, 1. qui dat cuncta gratis, Psal. 104, 27. Psal. 145, 9. 15. Ps 139. v. 14. 18. Psal. 147, 9. Esa. 40, 14. 15. 17. Rom. 11. v. 34. Job. 1, 21. Gen. 32, 10. cui omnia debemus & nos ipsos, nihil ille nobis Luc. 17.

v. 9. 10. Et cum peccamus quotidiè, nihil nisi iram meremur, & pœnæ cumulationem, Rom. 2, 5. Deut. 7, 7. 8. c. 9. v. 5. 6. *Denig*: Supponit hanc falsam hypothesin: quod scilicet natura in peccato non sit mortua, sed sopita; quæ per verbum excitetur. Quod supra refutatum dedimus. Quo etiam Ampsingi similitudo tendit, quam pag. 9. eructat, ad loca scripturæ, naturam mortuam saxeam ac totam carniosam testantia, depravanda. Nam *similitudines*, ait, *non conveniunt in omnibus*. Quod sanè verum est: tamen interim in tertio comparationis semper exactè conveniunt.

Gratiæ auxilij specialis (divisio accuratior est) *in auxilium excitans & adjuvans. Ad gratiam auxilij excitantis divinæ illustrationes atq; inspirationes pertinent, quibus Deus cor nostrum pulsat, ut à somno peccati vel negligentiæ in bonis operibus excitetur. Ad gratiam auxilij adjuvantis spectat divina cooperatio, directio ac protectio, quibus juvamur, tum ut eligamus, tum ut faciamus quod Deus præveniens inspiravit.*

Hæ distinctiones in sese bonæ sunt, sed à Jesuitis & Arminianis callidè depravantur. Nam Patres conciliabuli *Trident.* sess. 6. *can.* 5. per prævenientem gratiam intelligunt vocationem, qua peccator ad pœnitentiam invitatur. Verba illorum hæc sunt: *Exordium justifica-*

ficationis sumendum esse, à gratia præveniente, hoc est, a vocatione. Et licet *Bellarm.* vocationem effingat *duplicem*, externam & internam, lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 15. quarum *illa* fiat lectione & prædicatione, *Hæc* illuminatione cordis & boni desiderij inspiratione: Tamen fallit. Nam sententia 6. & 7. ibid. fol. 294. edit. Coll. 1616. hæc sic explicat, quod gratia excitans non detur homini sine actione ipsius, quamvis sine cooperatione liberi arbitrij detur. *Prius*, quod cogitare & desiderare sint actus mentis & voluntatis; *Posterius*, quoniam sint repentini motus, & omnē deliberationem mentis præveniant. Sententia 7. inquit: *ad assentiendum gratiæ excitanti, seu divinæ internæ vocationi requiritur necessariò gratia adjuvans.* Ubi positis *quatuor* motibus §. *secundus*, in morali suasione adjutorium consistere fatetur. Hæc ipsa est quoq; sententia *Arminianorum*, testibus Act. synodal. pag. 60. *Interna enim gratia*, inquiunt, *in genere illa est, quæ non tantum foris aures corporis ferit, sed intus in ipsam hominis animam penetrat & recipitur, quod fieri potest*, vel *quatenus per eam tum intellectui tum affectibus, tum voluntati inseritur atq; inditur potentia, sive capacitas ad intelligendum, concupiscendum aut aversandum & volendum vel nolendum ea, quæ verbo extrinsecus proponun-*

ponuntur: vel quatenus cum potentia illa jam præsupponitur in facultatibus animæ insuper adhuc per eam imprimitur in mente & intellectu verbi ipsius auribus hausti sensus. Deinde affectis etiam suaviter demulcentur, afficiuntur atq; imbuuntur, rerum verbo comprehensarum dulcedine, ut tantum non gustent bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi. Utramq; hanc gratiam internam quis esse neget! & hanc quidem nos lubentes volentesq; concedimus. Huic oppositam *internam* irresistibilem Calvinianam rejiciunt: quæ tamen est gratia *quoad rem* ipsam conversionis, sed non quoad operandi *effectum modum* irresistibilitatis. Homo enim divina omnipotente virtute per verbum recreatur; sed tamen ordinata, cui resistere potest, Act. 7. v. 51. non absoluta, cui nemo resistit, Rom. 9. Ad eundem scopum moralis suasionis, totus discursus in *Act. synodal.* pagin. 61. Collimat. Verum, *dicas,* removent à sese suspicionem illam, pag. 62. Nam *primo* volunt *potentiam credendi ante omnia conferri per gratiam irresistibilem.* Qua collatâ, fatemur, ajunt, *aliam à nobis ad actum fidei eliciendum necessariam gratiam non agnosci quam moralem, sive eam, quæ verbo tanquam instrumento ad fidem efficiendam utitur; quo ipso non excludimus varias occultas inspirationes, impressiones, commotiones sensuum ver-*

verbi, quæ tum in intellectu tum in voluntate hominis à Deo immediate aliquando pro liberrima ipsius voluntate fieri possint, sed tantum omnes tales esse statuimus, quæ ipsum consensum aliter quam morali ratione non eliciant & producant.

Resp. hic 1. Verbum & gratiam Dei in opere conversionis more Svencfeldico videantur ab invicem divellere. 2. Hominem in spiritualibus non mortuum, sed tantum dormientem & languidum supponunt, qui excitetur. 3. In concursu gratiæ & voluntatis à morali Pelagiana suasione non abeunt. Verum quid sit gratia *excitans & convertens* pulcherrimè in refutando Pelagio l. 1. contra duas Epistol. Pelag. c. 18. & 19. ostendit *Augustinus.*

Quinta (gratiæ accuratior divisio est) *in auxilium sufficiens & efficax. Sufficiens est, qua Deus hominem ita vocat, excitat, juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut homo sic excitatus revera posit velle credere, converti, bonum operari: Licet reipsa non velit credere, converti, bonum operari. Ideo gratia hæc manet inefficax. Efficax verò est, qua hominem ita vocat, excitat, juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut homo sic excitatus, vocatus infallibiliter re ipsa velit, credat, convertatur, bonum faciat.*

Resp.

Resp. *Primo*, hæc gratiæ divisio supponit hominem non mortuum, sed tantum dormientem, qui excitetur: contra illud Ephes. 5. v. 14. 2. Vires voluntatis esse tantum languidas, quæ adjuventur & quibus subveniatur. 3. Conversionem in morali sive Rhetorica suasione collocat. Quod Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. pag 118. §. *hoc loco*, non dissimulat; ut nec Arminiani in verbis paulò ante adductis. Estq; adeo ipse Pelagianismus, mutato tantum habitu introductus. Quod enim Pelagiani vocant *possibilitatem credendi* gratiæ creatoris omnibus hominibus datam, secundum hominis voluntatem: Id Jesuitis & D. Ampsingo est auxilium sufficiens. Itaq; si hæc definitio non idem prorsus cum Pelagiana suasione legis & doctrinæ dicit, certè non multum discrepat.

At Pelagiani *gratiæ externam, Jesuitæ verò & Arminiani internam svasionem urgent*. Resp. Utriq; quandam internam, etiam Pelagiani, agnoscunt, testibus Actis synod. Utrique voluntatis viribus, hac positâ præveniente gratia, assentiendi vim tribuunt; idq; evidentibus & sonoris verbis D. Ampsingus in *Nasturt.* pag. 18. & 19. ac *Programmate* 11. April. affixo sæpè reperit. *Secundo* ajunt, quod Deus *paratus sit* juvare hominem; non quod volun-

luntatem saxeam commutet in carneam, Ezechiel. 36, 26. excitat *ex mortuis*, Ephes. 5, 14. recreet. Psal. 51, 12. *Tertio*; Calviniani quidem inter efficacem & inefficacem vocationem distinguunt: quarum *illa* ex parte & intentione Dei sit efficax, *hæc* minimè. Quam ut Diabolicam fidei hostem & φιλανθρωπίαν Dei inimicam repudiamus. Quod verò Jesuitas & Arminianos concernit, gratiam quidem rectè in verbo oblatam ex eventu incredulis fieri inefficacem statuunt; & quidem liberi arbitrij voluntatis malæ ad malum viribus. Verum errant, putantes quod eadem sit efficax ex eventu vel effectu tali, qui sit ex arbitrio voluntatis gratiæ cooperantis. Id enim est tantũ moralis suasionis virtutem in verbo agnoscere; & voluntatis libertatem præsupponere. *Efficacis* (gratiæ accuratior distinctio est) *in gratiam operantem & cooperantem. Operans est, quæ facit ut velimus. Cooperans, quæ facit ut voluerimus impleamus.*

Resp. Verba sic posita, pura & sancta apparent: Verum ita explicantur à *Bellarmino* lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 14. ut nihil sani retineant. Nam ad quæstionem quid sit *gratia operans*, respondet 1. Theologos Scholasticos gratiam *operantem vocare ipsum habitum gratiæ, ut formaliter nos justos & sanctos Deo facit.*

vit. Id enim Deus in nobis sine nobis faciat. Gratia *cooperans sit idem habitus, ut sit principium meritorij* operis. *Aliis* sit eadem gratia cum excitante & adjuvante. *Alij* velint, quod operans tribuat actum internum, cooperans externum. Quam opinionem *Thomæ* adscribit 1. 2. ac rejicit eò quod ad actum externum specialis gratia requiratur: Siquidem membra corporis ad nutum voluntati obediant. *Bellarminus* ipse tandem suam proferens sententiam statuit *operantem* esse, quæ efficit in homine *primum motum* deliberatæ voluntatis, qualis sit conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive à peccatis ad pœnitentiam. *Cooperans verò sit, quæ efficit consequentes voluntatis actus.* Qualis sint velle orare, velle quærere sacerdotem, &c. quos continuò sequantur actus externi. Ergo concludit, *operantem esse auxilium speciale efficax, respectu primi voluntatis motus: Cooperans verò sit respectu actuum sequentium.*

Porro: Illud *Augustini*, quod primus deliberatæ voluntatis actus, sit sine nobis, explicat ut Lutheranis (quos vocat) & Calvinianis apertè repugnet. Nam ait secundum *causam efficientem & physicam* esse non solum Deum per auxilium speciale, sed etiam voluntatem nostram per liberum arbitrium: Ideoq;

nos

nos cooperemur Deo. *Causa verò moralis istius actus*, sive movens sit solus Deus suadendo, hortando, consulendo, & voluntas mota. Quod declarat similitudine nautæ fol. 184. lib. 1. de grat. cap. 14. §. ac ut. *Sit aliquis*, inquit, *cui expediat navigare in orientem, & tamen nolit id facere; Si quis ad eum accedat eiq; multis allatis rationibus tandem persvadeat & de nolente volentem faciat; deinde ubi eum velle navigare, cognoverit, procuret illi navem, pecunias & cætera, quæ navigantibus sunt necessaria; is profecto verè dicere poterit, Ego solus feci, ut iste navigationem susciperet vellet; nam etiamsi alter rationes allatas audierit, atq; apud se expenderit, & tandem assensum præbuerit, non tamen ipse sibi persvasit, neq; se ipse movit, sed amicus ejus illum movit eiq; persvasit.* Cæterum quod attinet ad *exequutionem voluntatis non potest amicus ille dicere*, ego solus *istum detuli in orientem, sed solum* ego illum *adjuvi & cooperatus sum, ut commodè navigaret. Siquidem ille qui ab amico persuasus navigare decrevit, sine dubio non sibipsi defuit, sed cogitare cœpit, quid facto opus esset, & conatum atq; industriam adhibere ad futuram navigationem.* Clarius idem in subsequenti conversionis Pauli exemplo exprimit, quo Paulum liberè concurrisse ait ad sui conversionem. Proinde vult gratiam cooperari vo-

luntati nondum conversæ. Nam scribit lib. 2. cap. 3. de grat. *Christus omnes vocat, ut ad se veniant, ut admoneat, ut gratiæ prævenienti cooperetur. Ac rursus,* vult voluntatem non conversam cooperari gratiæ. Ibid. cap. 12. *Summa:* Gratia operans est Jesuitis & D. Ampsingo idem, quod Pelagianis gratia legis & doctrinæ, quæ voluntati non conversæ operetur: *& vice versa.*

Tandem: distinctionem gratiæ in prævenientem & consequentem scribit Jesuita superiores includere. Siquidem *gratia excitans possit dici præveniens, & adjuvans subsequens.* Denique, *omnis gratia prior respectu posterioris possit dici præveniens.* Qua in re D. Ampsingus & Arminiani cum Jesuitis non conveniunt: ut ex his D. Ampsingi verbis pag. 4. *Nasturt.* apparet. Ex his (gratiis) *gratia præveniens hominis conversionem,* inquit *antecedens, complectitur sub se gratiam creationis* (igniculos notitiarum naturalium) *gratiam excitantem & gratiam adjuvantem.* Et pag. 5. sic garrit: *Syndrome ergo & concursus gratiarum illarum, quas gratia præveniens suo amplexu comprehendit, est instar fomitis ad ignem Spiritus S. in conversione concurrente nova ejusdem gratia recipiendum.* At nemo Jesuitarum igniculos notitiarum naturalium his gratiis, nedum gratiæ prævenienti,

infar-

infarcit. Ut quis non injuria hanc Ampſingi Arminiana & Pontificiorum concordiam dicat ſimilem illi, quæ fuit in vulpibus Symſonis, caudis cohærentibus capitibus ab invicem ſejunctis. Confer porro ſententiam Arminianorum cum his gratiæ diſtinctionibus in *Actis Synod.* & *Confeſſione* c. 17. Numero 5.6.7. quos refutant Profeſſores *Leidenſes in cenſura* pag. 230.& ſeqq. vide & *Arnold. Corvin.* in mala Encheireſi ſive cenſura c. 34.37. Item 43. & ſimilibus aliis. Et *Molineum* in Anatome Arminianiſmi c. 32. 33. 37. &c.

CAPUT II.

Quo aſſertio 1. theſ. 4. in Admonitione mea propoſita defenditur.

HIC *primò* ipſum κρινόμενον & ſtatum controverſiæ accuſat D. Ampſingus mendacij & atrociſſimæ calumniæ. Reſpond. Bona verba quæſo: Quid ita? Quia *nunquam dixi*, ait, *poſſe hominem ſeſe hac ſola gratia convertere: ſed poſſe hominem hiſce igniculis uti ad converſionem, concurrente nova Spiritus S. gratia.*

Reſp. At verò ſalva res eſt. Carpit enim in *Aſſertione* mea vocem, Solam, quam non ha-

bet: Sed D. Ampſingus ipſi affingit, ut calumniari poſſit. Benè etiam novi, quod in Eccleſiæ hominibus gratiæ & voluntatis humanæ concurſum ad converſionem ſui requirat cum Arminianis & Jeſuitis. Quod in *Admonit.* pagin. 133. & 134. notaveram. At verò quid fiet de hominibus extra Judæam in V. Teſtamento conſtitutis, & nunc de nationibus multis barbaris, quæ nihil de evangelio norunt? D. Ampſingus reſpondet in *Program.* 11. April. affixo, *litera A. 3. §. omnibus. Illuxit illa*, inquiens, *gratia: Ergo non debet detineri in injuſtitia, omnibus hominibus. Eſt enim univerſalis. Nam primum oportet omnes homines coram Deo ſiſti reos & inexcuſabiles.* Unde poſtea inſtituit probare *gentes eſſe inexcuſabiles*, hoc medio termino: *Quia igniculis ſupernaturalis gratiæ potuerint uti ad converſionem.* Syllogiſmus ejus primus hic eſt: *Omnes, in quibus manifeſtum eſt id, quod de Deo cognoſci poteſt, & Deus hoc ipſum manifeſtavit: ſi manentes increduli, ſunt inexcuſabiles, & incredulitatis ſuæ excuſationem nullam habent. Atqui in Gentibus* V. G. *in Turcis manifeſtum eſt id, quod de Deo cognoſci poteſt. Deus enim eis manifeſtavit. Ergo gentes V. G. Turcæ manentes increduli, ſunt inexcuſabiles, & incredulitatis ſuæ excuſationem nullam habent.* Poſtea dicet quiviſſe iis uti ad converſionem; item:

item: Deum *gentes illis ad resipiscendi studium* incitasse. *Porro:* ex Syllogismo & cohæsione quæstionis cum medio demonstrationis sic infero: *Qui est inexcusabilis & incredulitatis suæ excusationem nullam habet, ob non factam conversionem ex igniculis in natura supernaturalibus: is sese potuit ex illis convertere. Atqui prius statuit D. Ampsingus de gentibus. E. & posterius statuat necesse est.*

Secundum: quibus exprobratur non facta conversio ex gratia gratis data; Ideoq; sunt inexcusabiles: Illi sese ea mediante potuerũt convertere. At qui gentilibus juxta D. Ampsingum, exprobratur non facta conversio ex gratia gratis data: Ideoq; sunt inexcusabiles. E. Gentiles sese ea mediante sive ex ea potuerunt convertere.

Consequentia majoris est certa: Nam ut ipse ibidem scribit: *Oportet enim*, ajens, *in omni objecto sive subjecto proportionem sive aptitudinem inesse recipiendi actionem agentis: Alioqui subjectum non potest excusari & reum peragi contemto actionis. Minorem* exhibet §. *oporteat.*

3. Si non plus gratiæ supernaturalis est in gentibus, quam animalitatis in lapidibus: ?ã certè *tam erit absurdum à gentibus resipiscentiam exigere, quam à lapidibus motum localem. Nisi gen-*

tiles ex gratia supernaturali igniculorum in natura relictorum sese possunt convertere: hoc argumentum erit prorsus stultum & nullum.

4. Capite 2. v. 4. inquit, prædicat Paulus (sic pergit) *copiam benignitatis, tolerantiæ ac lenitatis Dei, qua gentes ad resipiscentiam deducere conatur. Illa Dei benignitas, tolerantia, lenitas, & ad resipiscentiam deducendi studium non competit in lapides, rupes, saxa, stipites aut aridos truncos, neq; etiam in homines omni gratia supernaturali vacuos.* His si addam verba, quod gentes istæ, nisi convertantur sint contemtæ actionis reæ, inde fluit hic syllogismus. *Quos Deus ita per gratiam supernaturalium igniculorum, ad resipiscentiam deducere conatus est, ut sint inexcusabiles: Illi sese potuerunt ex gratia illa supernaturali igniculorum convertere. Aut enim* ex igniculis istis *aut* ex verbo *aut* ex utrisque, *aut* deniq; extra ecclesiam ex Enthusiastico raptu potuerunt converti *At non* ex Enthusiastico raptu & *verbo:* Quod ipse D. Ampsingus fatetur. Neq; ex *utroq;* junctim: Siquidem verbum nó habuerunt. Restat igitur *primum.* Nam *quintum* membrum Ampsingus rejicit; videlicet quod gentibus inservire debuissent ad id, ut verum Deum inquirerent, & 2. ne scelera perpetrant grandia, Et 3. idololatriâ ac polytheia contra veritatis dictamen non macularentur.

Stat

Stat igitur prior argumentatio nostra: *aut* ipsius expositio erit falsa.

Si regerat *D. Ampsingus*, se concludere esse in natura superstites supernaturalis gratiæ igniculos, non quod ex illis gentes salvari potuerint: Tum resp. 1. Argumenti primi conclusionem esse hanc: Ergo *gentes V. G. Turcæ manentes increduli, sunt inexcusabiles & incredulitatis suæ excusationem nullam habent.* Ex qua quid fluit aliud, quam quod ex manifestatione, igniculorum istorum atq; usu eorum recto, sese potuerint convertere? 2. Firma est connexio, medij termini cum quæstione, in argumentis nonnullis. Quare namq; sunt inexcusabiles? quia habuerunt igniculos supernaturalis gratiæ, quibus non rectè sunt usi. Et 3. ex conversione medij termini cum quæstione. Deus voluit gentiles ad pœnitentiæ studium deducere. Ergò habuerunt supernaturalem conversiónis gratiam. Et contra; habuerunt supernaturalem gratiam. Ergò ea potuerũt *deduci ad pœnitentiæ* studium: Quod intermittentes sunt inexcusabiles.

Status igitur controversiæ sive τὸ κρινόμενον est: *Gentiles ex igniculis illis potuerunt converti.* D. Ampsingi argumenta affirmant: Ego cum Augustana confessione & ecclesiis nostris nego.

Jam videamus in *Admonitione* pag. 34. 35. ita formatum ex Augustanâ confessione argumentum. *Qui non habet judicium rationis, per quod sit idoneus in iis, quæ ad Deum pertinent, sine Deo,* (hoc est, sine verbo Spiritus Sancti. Quod eo ipso loco indigitaram) *aut inchoare aut certò peragere:* Is nec igniculos supernaturalis gratiæ habet, quibus convertatur. Hæc enim est propositio integrè, juxta *Assertionem*, formata. At *homo post lapsum, sive non renatus non habet judicium rationis in iis, quæ ad Deum* (Dei spiritualem vitam) *pertinent, sine Deo* (hoc est, sine verbo Spiritus S.) *aut inchoare, aut certò peragere. Ergò nec habet igniculos supernaturalis gratiæ, quibus convertatur.* Consequentia *Majoris est:* Quia confessio August. igniculos istos ad judicium rationis, ut partem, refert. *Consequens:* quod nimirum statuantur ejusmodi esse igniculi, quibus sive totaliter, sive partialiter, convertatur homo; duobus prosyllogismis fuerat probatum.

Nam qui *possidet illos, & non exercet, D. Ampsingus* statuit esse inexcusabiles. 2. *Propter illos rectè usurpatos, Platoni & Philosophis mitiorem, conditionem in altero seculo tribuit.* Quod tamen falsum: Quia nec naturaliter, nec supernaturaliter, citra verbum habetur supernaturalis cognitio.

At

At *negat connexionem attributi cum subjecto*, ob voces, *sine Deo*, & phrasin, *quæ ad Deum non pertinent*. Quoniam *pertineant ad Deum non modo supernaturalia, verum etiam naturalia omnia*, pag. 12.

Resp. Ea sunt A. Confess. & Philippi verba, ex quibus texueram meum argumentum; *A. Confes.* inquam, cujus se socium profitetur. *D. Ampsingus*, verba & sensum, ut hic apparet, ignorat. Ac proinde me istis verbis (*sine Deo, & quæ ad Deũ nõ pertinent*) quinquies aut sexies in suo *momo satyrico* & ejus indice, dum exagitat & flagellat, ipsum Philippum & A. Confessionem exagitat, & flagellat. Si me ita ἐν αὐ]τῶ]ῶ φύρω deprehendisset, Ampsingus, aliquot plaustra conviciorum congessisset. Intelligunt autem Confessores & Philippus ista verba de operatione Spiritus S. gratiosa, & rebus ad superius hemisphærium pertinentibus: non de providentiæ, respectu 1. articuli, operibus, quæ fiunt sine Dei Spiritus S. gratiosa operatione.

Instat; *Igniculi illi* (naturalem Dei notitiam intelligit) *non sunt sine Deo, nec sunt naturales, sed Dei donum gratiosum supernaturale, datum in ipsa creatione, quæ veluti rudera supersunt ex illa misera Adami ruina. Et veluti fomes ad recipiendum ignem Spiritus Sancti, in*

conversione, non equidem sola, sed conjuncta cum gratia excitante, adjuvante & suscipiente. Hæ inquam gratiæ, (ait) *constituunt illam causam recipientem Philippicam, cum qua Spiritus Sanctus simul est efficax. Non habet ergò homo judicium rationis per se, quæ naturale est, idoneum ad actus pietatis proximè, sed interveniente ea, quam dixi, gratiam supernaturali.* Et pag. 14. meminit D. Ampsingus *actionum purè naturalium, Quas* (NB. non Philosophi, sed) Theologi *vocent.* Deniq; pag. 34. distinguit *inter hominis corruptam naturam interq; naturam hominis impurè naturalibus.* Proindè pag. 10. ringitur negatq;, quæ de *gratiæ scintillis* dixerat, *rectè ad naturam referri.* Atq; hæc subjicit: *Norunt pueri in scholis, substantias agere per qualitates. Actio naturalis editur à natura per se, qua est purè naturalis & potentias habet naturales. Actio peccatrix editur à natura, qua est peccato infecta. Actio pietatis editur à naturâ, qua est prædita supernaturali gratia.* Quin distinctionem horum purè naturalium & supernaturalium in conversis tolli non concedit p. 16. Nasturt.

Augiæ stabulum in rebus tam diversis, falsis & obscurè positis venit expurgandum. *Primo:* ex Scholasticis ut & Jesuitis ut Bellarm. Becano quinq; diversos status hominis, nobis desudat obtrudere. Quorum primus sit

inte-

integritatis; in quo justitia originalis, atque imaginis divinæ pulchritudo fuerit supernaturale donum: Quo ablato perfectio nobis concreata, naturalis manserit. Quod similitudine virginis declarant, quæ ablatâ Corona & ornatu externo, virgo vera maneat, licet non tam pulchrè ornata & compta. Qui nudationis status pontificiis & D. Ampsingo est secundus; in quo possit homo edere actiones purè naturales, Ethicè, Physicè, & Theologicè inculpatas. Neq; enim per actiones purè naturales consuetas in naturâ actiones, ut in Philosophia considerantur, intelligunt. Quas D. Ampsingum quoq; indigitare, præter allegata verba, index famosus *Nasturt:* ex pag. 34. est testis: ubi inquit: *Natura hominis corrupta, & natura hominis in puris naturalibus differunt. Bellarminus* lib. de grat. 1. hominis cap. 5. hûc statum attingit; aitq; (quod quia huc spectat, referam) *hominem in puris naturalibus, non magis differre ab homine lapso, quam nudus* (qui ipse est in statu puerorum naturalium) *à spoliato,* (quem ponit in statu peccati.) *Deinde:* vocis *supernaturalis* duas, & *naturalis* quatuor recenset, significationes. De quibus D. Ampsingus rectè consulet *Pareum*, suum quondam in religione fratrem, eas doctè explicantem, in *Explicat.* ejus libr. pag. 61. 62. 65. 66.

Nos

Nos in præsentiarum de vocis *naturalis* significationibus, tantum has notabimus. *Primo* naturale sumitur, 1. *Constitutivè*; quod naturæ *suum esse largitur*. *Secundo*, *consecutivè*, pro eo, quod naturam sequitur; ut pro anima & ejus affectionibus. *Tertio*, *subjectivè*; quod naturæ inhæret; *Quarto perfectivè*, quod naturam perficit, juvat: aut in malis, quod eam insigniter depravat & corrumpit. *Quinto*, *transitivè*; quod de subjecto, in subjectum naturaliter trajicitur & propagatur. *Tribus modis* posterioribus justitiam originalem censemus esse naturalem. Quod hac vice declaramus & probamus ab ejus contrario. Quemadmodum enim nunc peccatum 1. subjectivè nostræ naturæ inhæret. 2. Naturam corrumpit pessimè. 3. Naturaliter in sobolem trajicitur: Sic ante lapsum justitia subjectivè fixa inhæsisset. 2. Hominem perfeciisset: Ac 3. hæreditariè fuisset propagata. Proinde hunc statum verè Pelagianismi suppeditare semina, in neganda atrocitate peccati originis, & viribus arbitrij stabiliendis rectè cum Theologis arbitramur. Id quod eventus ipse quoque de Pontificiis & Arminianis evidenter astruit. Itaq; sic eum oppugnamus.

Quicunq; *status*, 1. *Nunquam in rerum natura extitit*. *Secundo*; *ponit veluti medium inter*

ter vitam & mortem puritatemq́, priſtinam & impuritatem. 3 In ſcriptura tota ignoratur. 4. Eſt pallium & fomes Pelagianiſmi. 5. Contradictorius. 6. Decalogo contrarius. 7. Inter immediatè contraria, ponit medium: Is prorſus eſt ridiculus & falſus.

Atqui ſtatus purorum naturalium 1. nunquam extitit: teſte Becano. Qui-cum Scriptura conſentit. Gen. 3, 7. Sumpto namque cibo vetito, hominem ſtatim corrupti ſtatus morbus detexit: dum protoplaſtis adaperuit probroſam nuditatem, quam Deus naturæ omnino creaverat. 2. Membrorum inordinationem & ἀταξίαν. 3. à conſpectu Dei trepidarunt; unde ſibi fuga conſulere cogitarunt. 4. Palliarunt peccatum ſuum, & translatione culpæ *partim* inſufficiente, *partim* falſa, Deum ipſum, proximum & ſerpentem accuſarunt. II. *Ponit medium inter vitam & mortem.* Nam in ſtatu integritatis vitâ beatâ florebant: quæ per lapſum, ut mortem, quâ juſtitiæ mortui ſunt, mortua & ſublata eſt, Eph. 2. v. 1. Gen. 3, 7. & c. 2. juxtà comminationem verſus 17. unde infero: *Ea mors omnis & ſola, qua Adamus eſt mortuus & impij, qui damnantur: hic intelligitur. Atqui illi ſunt mortui, 1. Cæcitate mentis & morte rectè voluntatis.* 2. variis morbis. 3. morte corporali. 4. æterna.

5. omni-

5. omnibus miseriis & calamitatibus, quæ homini obveniunt. Ergò ea hic intelligitur. At quando cæpit ea mors? statim à sumpto cibo vetito, ut membrum præcedens testatur. Hinc Diabolus homicida ab initio vocatur, Joh. 8. v. 44. Quid igitur inter statum integritatis & corruptionis, velut vitæ & mortis, medium tingunt? Itaq; III. *In tota scriptura ignoratur.* IV. Est *pallium & fomes Pelagianismi.* Illi namq; naturam probam fingebant, licet improbissimam. Adeoq; inde Pontificij & Arminiani Pelagianismum suum in naturæ (intellectus, & inprimis voluntatis) libertate stabiliunt & fovent. V. Est *Contradictorius*: Idq; absolutè utrisque, licet comparatè non tam Pontificiis quam Arminianis & D. Ampsingo. *Non tam illis*; Quoniam reliquias imaginis divinæ Jesuitæ agnoscunt naturales: *Quam his*, qui fingunt statum purorum naturalium, & tamen igniculos supernaturalis gratiæ esse rudera imaginis divinæ, in creatione inditæ, fatentur. Concilia hoc, D. Ampsinge, si vir es. VI. *Contrariatur Decalogo*, qui tantum ἀνομίαν omnem vetat, & ἐννομίαν exactè plenam, perfectam & concreatæ justitiæ plenè conformẽ, juxta omnia præcepta semper requirit; Quicunq; igitur tantum est aut sub ἀνομία constrictus, aut in ἐννομίαν gaudet:

det: ille in tertio diverso non potest esse. Atque homo à Deo conditus est aut tantum sub illo in pœnâ constrictus aut in hoc gaudet. Ergo &c. VII. *Inter immediatè contraria ponit media.* Nam inter plenè bonum & prorsus malum facit tertium, qui non est statum. Quod fit Scriptura invitâ Gen. 1. v. ult. cap. 3. v. 7. *Ergo iste status est ridiculus & falsus.*

Porro; imaginem divinam fuisse homini ante lapsum naturalem & concreatam, in posterosq; propagandum donum, *B. Lutherus* in comment. in Gen. c. 1. & 2. *Melanch.* in LL. de Deo. *Chemnit.* in exam. concil. Trid. part. 1. f. 90. 91. *Meisnerus* in Antrop. sacræ part. 1. disput. 2. q. 2. *Dn. D. Gerhardus* in LL. CC. Tom. 2. p. 380. *Pareus*, Chamier, & alij infiniti abundè & invictè demonstrarùt. Ad quos D. Ampsingum remitto. Interim capiat hunc syllogismum: *Omne 1. quod est homini concreatum. 2. Fuisset in posteros propagandum. 3. Cujus reliquiæ sunt naturales. 4. Sine eo accusatur carentiæ justitiæ originalis inesse debitæ. 5. Cujus contrarium est naturale; idipsum quoq; fuisset naturale.* Atqui imago Dei I. fuit homini concreata, Ephes. 4. Gen. 1, 26. 27. II. Fuisset in posteros propaganda, quod constat *primo* ex fine creationis: quo scil. magna sapientia, viveret & impositis nominibus animalibus,

bus, illorum dum manſura erant, dominus eſſet. 2. ex *contrario* effecto Geneſ. 5. quo imago Adami corrupti aſſeritur hæreditaria. 3. ex querela Dei, qua ſpoliatus & nudus accuſatur, Rom. 3. III. *In eo tantum fuit Deo ſimilis.* Ergò ſimilitudinis imago ab humanâ ſpecie non debuit abeſſe. 4. Illius reliquiæ ſunt naturales, Rom. 1, 20. c. 2. v. 14. 15. IV. Sine ea accuſatur carentiæ juſtitiæ originalis ineſſe debitæ, Rom. 3, 23. V. Imaginis contrarium eſt naturale, Peccatum ſc. & naturæ pravitas. Ergò imago ipſa quoq; fuiſſet naturalis. Negat *gratiæ ſcintillas pertinere ad Naturam*, pag. 10. Reſp. 1. Negat cum Vorſtio-Arminianis. 2. Illæ ſcintillæ ſunt pars principiorum nobiſcũ natorum. Ut enim philomelæ potentia & inclinatio ad canendum, araneæ ad texendum eſt naturalis: ſic homini hi igniculi ſunt naturales. Quod probaram in Admonit th. 33. Atq; inſuper D. Ampſingum ſibi contradicere th. 33. Nam quicquid eſt poſt lapſum in omnibus hominibus: propagatur in ſobolem omnem: & ipſe Apoſtolus vocat naturale: id eſt certè naturale: naturæ verò pars aut accidens inſeparabile. Adeoq; Ampſinganæ qualitates præternaturales & ſupernaturales (quantum gratiæ ſcintillas concernit) ſunt tantum naturales, contrarium probari non poteſt.

poteſt. Minorem ex cap. 1. & 2. Rom. d. l. probaram. Eſſe autem naturale, idemque ſupernaturale, non conſiſtit.

Norunt, inquit, *pueri in ſcholis ſubſtantias agere per qualitates: quod neſcire me calumniatur.* Aſt ubi idipſum negavi? Imò *D. Ampſingus* naturæ ſignificata diſtincta confundit, ſcribens pag. 10. *Pro diverſitate qualitatum fiunt actiones diverſæ Actio naturalis editur, &c.* Reſp. At bene eſt: certè nova eſt Philoſophia, hactenus Academiis orthodoxis, Ariſtoteli & ipſi naturæ incognita, quæ actiones peccato infectæ dicuntur præternaturales. Profectò Ariſtoteles accidentia ex cauſa (non remota, aut univerſali cum D. Ampſingo, ſed) proxima ac mentione finis & ſubjecti, definienda docuit. Ac præterea phyſici & cordati Ethici præternaturales Ampſinganas ignorant: Metaphyſicus autem inter actionem & ipſius ἀταξίαν diſtinguit. Sic V. G. riſus inordinatus aut calumnia eſt actio *vel* Phyſica, quatenus ex principiis phyſicis prodit, in eaq; conſideratur. Ad Ethicam refertur, quatenus eſt extremum virtutis, à medio deflectens.

Rurſus: actio *vel* naturalis *vel* ſupernaturalis, dicitur, pro actionum principiorum & potentiarum proximarum natura & agendi modo. De quibus non eſt hic agendi locus.

Videantur Philosophi. Adjiciamus aliud exemplum: Judæ proditio est actio naturalis, quatenus naturale supernaturali principio opponitur; Peracta namq; est à Judâ, ejusq; potentiis & affectibus, tanquam proximâ causa; à diabolo verò, tanquam remota & impulsivâ. Sic *scortationes* & similia peccata, quatenus Physicè considerantur, nihil præternaturale ponunt: Sed quatenus Ethicè, dicuntur esse actiones vitiosæ. Alia verò ratio est actionum spiritualium, ut fidei & illius operum: quæ fiunt in nobis & à nobis ex principiis & potentiis supernaturalibus; *item* qn. Sagæ & id genus homines mirabilia patrant; quæ nó ex principiis & potentiis humanæ naturæ, sed illâ superioribus patrant. Pro qualitatum ergò & potentiarum ratione subjecti actio definienda est. Verum quid inde concludes D. *Ampsinge?* Ergone homo Deum cognoscens, ex lege naturæ, agit ex potentiis & principiis supernaturalibus? Id sane disertè est τὸ ἐν ἀρχῇ δεῖξαι. Nam probandum erat, esse cognitionem Dei & rerum, quæ ex imaginis pristinæ ruderibus remanet, ex principiis & qualitatibus supernaturalibus, aut esse potentias & qualitates supernaturales. Contrarium v. in *Admonit.* mea pag. 44. probaveram. Quæ argumenta tu in æternum non convelles.

Sed

Sed quales jam sunt actiones peccato infectæ? Resp. Sunt naturæ corruptæ, Gen. 6, 5. Matth. 15, 14. Rom. 8, 7. Sic V. G. generatio humana est actio naturalis naturæ corruptæ, non præternaturalis. Licet interim ex Metaphysicis inter rem & ejus ἀταξίαν distinguamus.

Vox itidem *proximè* pag. 13. *Nasturt.* qua scribit: *Ea* (voluntas) *non habet ex se potentiam ullam, saltem proximam, ad actus pietatis.* Item quando dicit, *quod homo in operibus pietatis sese non habeat merè passivè, verum etiam activè, non equidem proximè ex propriis naturæ potentiis seu viribus; sed interveniente Dei gratia præveniente, tanquam causa proxima.* Ubi sic habendum, Natura, qua recta est, nunquam facit, aut intendit malum; sed qua est corrupta. Quod sentire non potest is, qui naturam humanam, quia ex quatuor Elementis est conflata, cum rebellione virium & corruptionis potentia sit condita; non quidem *proxima*, sed remota. Quod sentiunt Jesuitæ & crassius Photiniani. Ideoq; mortem fuisse naturalem homini clamant. *Deniq;*: quæ de actionibus pietatis profert *D. Ampsingus* pag. 10. in rebus supernaturalibus, mediante & interveniente gratia (si de Spiritus S. in articulo tertio actionibus intelligantur) accipio &

probo: non item si secus. *Porro:* quod dicit hominem non *proxime*, in operibus pietatis agere, rectè explico ex *Bellarmino* libr. 6. de grat. & lib. arb. v. 15. sentent. 3. *Non habet*, inquiente, *homo ante omnem gratiam potentiam proximam & perfectam ad opera pietatis, & ideò nihil omninò in hoc genere ex sese facere potest. Remotam verò* ibidem stabiliunt. Sic enim Bellarm. hoc Chemnitij arg. *Aut habet homo ex se aliquas vires, quamvis exiguas, aut nullas omninò. Si habet, Ergo potest aliquid sine Deo, contra illud Joh. 15. sine me nihil potestis facere*, sic eludit: *Habet potentiam remotam aut vires imperfectas & ideo nihil per se potest, sed si perficiatur ea potentia & vires addantur, poterit multa præstare.* Quæ tamen potentia remota ex scripturæ locorum explicatione infra facilè in auras evanescet.

Quod etiam ex natura relatorum inter se proximè & remotè de opinione Ampsingi sentiendum. Conferatur etiam *similitudo nautæ* supra in distinctione 6. gratiæ adducta.

Verum, posito errore de pura naturâ in actionib. purè naturalib. statim alius suppullulat & accedit: nimirum nullas dari notiones naturæ insitas sive legem naturæ. Quem errorem tenent Photiniani: à quibus cum mutuatus fuit *Conrad Vorst*, disputat. de Deo,

pag.

pag. 128. & *Apol. Exeg.* pag. 5. ac *Timpl.* Vorstij in schola Steinfurtensi olim Collega, in Metaph. atq; *Episcopius* disput. privata de Deo Coroll. 2. referente: *Festo Hommio.* Ex Arminianorum igitur schola hic error ad D. Ampsingum promanavit. Quos prolixè refutavit Dn. D. *Gerhard* in exeg. LL CC. pag 662. & seqq. Dn. D. *Meisn.* tract. de legibus. *Chemnit.* in LL. CC. parte 1. fol. 20.

Porrò: si exactè Ampsingi sententiam consideremus cum Vorstij eadem esse apparet, aut certè non longè ab illa abit. Nam *Vorstius* scribit *Apol. Exeg.* pag. 5. *Semper patefactio aliqua tum naturalis, tum supernaturalis ipsam Dei notitiam præcedit necessario.* Et Saraph. ad Roman. 1, 20. *Tametsi enim,* inquit, *præcipuè Dei virtutes, puta æterna ipsius potentia, & divina ejusdem voluntas inde a creatione mundi aliquo modo occultatæ ac veluti invisibiles fuerunt, nunc tamen hæ virtutes ex iis, quæ per Christum & Apostolos facta fuerunt, clarè & intellectè perspiciuntur. Unde fit ut impij & injusti illi nullam impietatis suæ excusationem in medium afferre possint.* Confer cum his verbis illa, quæ in *Programmate* 11. April. affixo leguntur.

Quo facto apparebit utrosq; 1. negare notitias naturales. 2. utrosq; statuere gentes ante Christum exhibitum fuisse ex lege naturæ,

quæ illis est gratia gratis data sive gratia igniculorum supernaturalium in natura reliquorum, salvatur. Confer *dictum progr.* & argumenta pro eâ sententiâ, à nobis utroſq; adducta. atq; cum illis *confessionem* Arminianorum in *Admonitione* pag. 135. citatam. 3. post Christi ascensionem scripturæ dicta cum igniculis istis explicare vel conjungere.

Pag. 7. th. 48. pag. 53. *Admon:* meæ effingit mihi *gratiam salvificam, & non salvificam* D. Ampsingus: quæ non est mea opinio, sed ipsius calumnia & cæcitas. Nam disertè istic non nisi unam agnovi esse salvificam.

Si verò per *alteram* gratiam intelligit gratiam misericordiæ divinæ in Christo oblatam, *alteram* verò creationis, sive notitiarum naturalium, verè posterior non est salvifica. Quod in *Admon.* mea pag. 42. th. 52. & pag. 46. 47. firmiter probâram. Quæ tamen propriè non est gratia, sed naturæ igniculi ex gratiæ Dei concreato dono adhuc reliqui. Falsò enim *primò*, dona primi hominis ante lapsum in eo lucentia, vocat gratiam, cum sint gratiæ effecta & dona. 2. Falsam præsupponit hypothesin; videlicet quod fuerint dona supernaturalis gratiæ cum nulla gratia Dei subjectivè creaturis inhæreat, sed gratiæ dona: si propriè loquamur.

At

At inſtat; *omnis gratia Dei à parte Dei finem habet ſalutarem; eſtq; ſuapte naturâ ſalutaris. Quando autem homines per enormia peccata gratiam facientem excutiunt, tum illo ſine excidunt.* Verum reſp. 1. gratia creationis, propriè notitiæ innatæ, & partialiter conſideratæ lex naturæ, vocatur; nullo modo gratia. *Differunt enim natura & gratia,* atq; effecta naturæ & gratiæ. 2. Quatenus gratia eſt qualitas infuſa, quæcunq; tandem dicatur, non eſt propriè gratia: cum ſit perpetua inter χάριν & χαρίσμαλα, gratiæ dona, oppoſitio & differentia in ſcriptura. 3. Nec gratiæ creationis Ampſinganæ finis adæquatus eſt æterna ſalus: quippe quam nullo modo operatur, nec, ut cauſa, ad eam concurrit. Quod magnus noſter & incomparabilis Theologus *Dn. Martinus Chemnitius* in LL. CC. parte 1. perſpicuè demóſtravit. Quomodo a. poſſit inſervire nobis ad ſalutis viam inquirendam in *Admon:* mea oſtendi pag. 47. ſed reliquæ gratiæ, quas impropriiſſimè ſic vocant, ut *gratum faciens, gratia permanens, gratia gratis data, adjuvans & cooperans* planè ad ſalutem & juſtificationem nihil conferunt. Cum ſit longè *aliud* inſervire Eccleſiæ commodis, *aliud* ſalutem operari; *aliud* ſalutem præcedere, *aliud* conſequi; *aliud* juſtificationis, *aliud* ſanctificatio-

nis articulus; *aliud* item in externa vita & societate humana, *aliud* in fide promovendâ & operanda conducere. Sola igitur gratia misericordiæ Dei in Christi merito, fide apprehensa salvat, Rom. 3. vers. 24. per eam stamus Rom. 5, 2. cap. 4. v. 3. & salvamur Rom. 4. 6. Ephes. 2, 8. Gal. 3, 11. Rom. 8, 24.

Lutherum cito ut Diabolus psalterium pag. 6. *Nasturt.* Resp. Quis sit status quæstionis ex dictis & præcedentibus argumentis patet. Quibus ponderatis utrum rectè citarim B. Lutherum pag. 37. *Admon.* judicare est penes Lectorem Candidmu. Certè sunt opposita, gentiles igniculis naturæ potuerunt ita ad conversionem uti, ut sint inexcusabiles: & gentiles *nullo modo* intra Christum & extra ecclesiam possunt viribus propriis, ad quas igniculi isti pertinent, ad Christum pervenire. 1. Est accurata differentia inter vires naturæ, sive solitariam, sive sociam causam spectes; Quibus homo *nullo modo* ad sui conversionem poterit concurrere: & inter Spiritum Sanctũ; ut solitariam conversionis causam. Quæ oppositio non est contemnenda. Verum quare non alterum B. Lutheri locum ex *Catechismo majori* citatum impugnavit? Nimirum quod nimis clarè Ampsingi oculos feriret.

At *Augustanam confessionem D. Ampsingo,*

non

non nisi flagitiosè oppono. Quia non scripserit voluntatem habere libertatem & vim sine Spiritu S. efficiendæ justitiæ spiritualis. 2. Nedum, quod homo animalis percipiet ea, quæ sunt Spiritus Dei. 3. Non etiam dixerit, quod sine Spiritu S. solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. Non ergo contradicat Augustanæ confessioni. Resp. Statu supra rectè formato, judicare non est difficile. Nam ut in specie aliquid respondeam: *D. Ampsingus* deprædicat Dei studium, gentes, etiam ante Christum ad resipiscentiam deducendi, in *Program.* 11. April. affixo: Ideoq; illos sese non convertentes statuit esse inexcusabiles. Ubi igitur gentilibus fuit datus Spiritus Sanctus? ubi gratia salvifica? Ubi apud illos Ecclesia? Nullibi. Annon hoc ipse *D. Amgsingus* sibi contradicens agnoscit? Annon talia negat Augustana Confessio?

Ad *secundam Exceptionem* resp. Nisi hoc sentit: Ergò frustra dicuntur gentes ob gratiam creationis Ampsinganam inexcusabiles. 2. Annon ipse subjicit statim in *Nasturt.* pag. 8. *nullam esse in scopis vescariis, quas vocat Assert. 9. & 10. Argumentum: quo non diserte posuerit hæc verba: Concurrente nova Spiritus S. gratia, conversionem scilicet fieri.* Et, *posita gratia præveniente,* scil. igniculis notitiarum naturalium, *gratia excitante & adjuvante, posse voluntatem*

salutem recipere vel repudiare. Hoccine est partialiter salutem operari? At contrarium statuunt illustrissimi Confessores Augustani & Philippus ac Lutherus sic dicentes: *Non habet* (voluntas) *vim* sine Spiritu S. (*non quidem morali* aut Rethoricæ suasione & illustratione in mentem extus agente: Sed firmissimè mentem & voluntatem sive cor, quod utramque complectitur, saxeum in carneum mutante, recreante, ac voluntatem & vires novas dante efficiendæ justitiæ Dei. Nam 1. voluntas hoc nequit: Siquidem animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei? Quid quæso est animalis homo? Profectò non pars ejus inferior, illi cum brutis communis, quod volebat *Emserus*; sed illa, quæ homini πνευματικῷ opponitur; homo videlicet primò non renatus quivis 2. Politicorum & sapientiæ Philosophicæ cunctæ peritissimi. Quos Paulus vocat versu 6. διδακτὸς τῆς ἀνθρωπίνης Σοφίας λόγος. Unde & sapientia ipsa ψυχικὴ animalis vocatur, Jacob. 3, 16.

Prædicatum est *duplex*: Nam primo non potest animalis homo γνῶναι, cognoscere. 2. Nec δέχεσθαι, recipere, capere. Quod verbum usurpatur pro receptione fidei, Actor. 8. v. 14. cap. 17. v. 11. Illustris est locus, 1. Thess. 2, 13. ubi

ubi inter παραλαμβάνειν & δέχεσθαι hoc ponitur discriminis: Quod *illud* sit externæ, *hoc* internæ receptionis; *illud* auditus, *hoc* assensus. Potest igitur homo non renatus non capere sermonem, imò nec intelligere salvifice. Conf. Matth. 11, 25. c. 13. v. 15. Psal. 14, 3. Matth. 16, 17. Idq; 1. ideo, quod esse stultitiam arbitratur. 2. Intellectus est mortuus & excæcatus. 3. Quod spiritualia non admittant cărnale judicium: sed juxta spiritus in verbo dictamen sint dijudiganda.

Hinc 1. sic argumentor; Qui quæ Spiritus Dei sunt, neq; intelligit, neq; capit & credit: ea multò minus potest velle. *Rursus:* Quæ nullo modo subintellectus & voluntatis non renatæ vires cadunt: sed tantùm ut spiritualia, per spiritus operationem dijudicantur: In illis intellectus & voluntas nihil potest. Atqui res fidei sunt tales. Ergo &c. *Consequentia est:* Quoniam inter corporalia terrestriaq; ac spiritualia & divina nulla est in corruptâ naturâ proportio. Item: quæ fiunt in cordibus (mente & voluntate) cum per verbum spiritus: (ut unicam & solitariam conversionis causam) concipiuntur: In illorum consortium voluntas activè non venit. Atqui justitia spiritualis sive conversio fit in cordibus (mente & voluntate) cum per verbum

bum ſpiritus (ut unicam & ſolitariam converſionis cauſam) concipitur. Ergo &c.

Deniq;: ad ultimam objectionem ſic regero: Quicunq; totaliter aut partialiter igniculis notitiarum naturalium converſionem tribuit: is pelagianizat: Ratio *Majoris eſt*; Quoniam Aug. Confeſſio & Auguſtinus in Pelagianis damnat, *tàm* quod gentiles ex lege naturæ aſſeruere ſalvatos: quàm quod poſtea ſubtiliores & callidiores facti, gratiam cum voluntate ſive libero arbitrio conjunxerunt. Qua de re infra cap. 4. plura. *Tandem*; ſi juſtitia ſpiritualis ſine Spiritu S. non fit, eo, quod animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritualis Dei: ſed fit in cordibus, cum per verbum S. S. concipitur: Tum mens & voluntas ab opere converſionis, ut cauſa, prorſus excluditur. Sed prius eſt. E. & poſterius. *Contra*; Quicquid ſive ex toto, ſive ex parte voluntati & noſtris viribus tribuitur: id eſt Pelagianum. Quippe Auguſtinus totum converſionis opus unicè Deo adſcripſit: At Pelagiani modò totum, modò partialiter naturæ tribuerunt. Atq; ita gratiæ & voluntatis concurſum in converſione defenderunt.

At p. 13. & 28. *Omnia mea argumenta diſtinctione inter naturalem & gratia Dei ſupernaturalem armatum hominem diſſipantur.* Reſp. Thra-

Thrasonica verba. Nam ea distinctio, quoniam gratiam supernaturalem de igniculis innatura reliquis acceptat, saltem alicubi, τὸ ἐν ἀρχῇ ἀιτεῖ.

Sed non est hæc vera contradictio: *Homo potest velle converti, & homo non potest velle converti: quia non dicuntur secundum eandem subjecti conditionem*. Resp. Verè sunt contradicentia. Nunquam enim potest velle converti homo non-renatus: juxta S. Scripturam & Formulam Concordiæ. Velle & nunquam posse velle sunt contradictoria. Nunquam n. homo, etiam admoto verbi divini igne & lãpade, potest velle converti, nisi cæcitas innata ab oculis mentis prius removeatur & mens recreatur divinitus Psal. 51, 12. illustrarique incipiat: adeoq; Spiritus S. non operatur *posse velle, sed ipsum velle & perficere*, Phil. 1, 6. Sic vipera nunquam non alit virus suum, nec aliter potest velle, nisi divinitus malitia in bonitatem convertatur. Viperæ comparatur homo, Rom. 3, 13. utriq; est sua malitia naturalis: *Illi* ex conditione creationis; licet integro homini nihil nocere quivisset, *huic* ex cõditione naturæ lapsæ. 2. Homonymia ludit in voce Gratiæ, quam interdum pro igniculis naturæ accipit, interdum verò de donis gratiæ. At lex naturæ ad conversionem non concur-

currit: sed solum verbum eam efficit, Rom. 1. v. 10. Et quid habes, quod non accepisti? 1. Corinth. 4, 7. Qui locus non de possessione & habitu igniculorum Naturæ, sed gratia & donis spiritualibus loquitur; non de donatis in primo sed tertio symboli articulo: quos Ampsingus confundit. 2. In eo Paulo contradicit, qui asserit gentes φύσει fecisse τὰ τῆς νόμου sive ex potentiis naturalibus, Ampsingus verò ex supernaturalibus, pag. 10. 12. 28. Nasturt.

Obiter hìc noto ad *Assert.* tertiam *Admonitionis* meæ; qua accusat me D. Ampsingus. Quod *cognitionem Dei naturalem sub nomine gratiæ gratis datæ statuam; & regerit, nescire me, quod gratiæ vocabulum modò generi, modò speciei rationem habeat.* At resp. verba mea hæc sunt thesi 38. pag. 47. *Cognitio naturalis Dei rectè etiam nomine gratiæ gratis datæ super malis venit: quæ & impiis datur;* Qam falsam assero: Ubi hìc negavi vocabulum gratiæ modò Generis modò Speciei rationem habere: Quamvis negare possim: Cum dona ista 1. Cor. 12. vers. 4. & seqq. descripta impropriè dicantur gratia. Siquidem sunt *effecta gratiæ.* Verùm hoc est quod negavi, notitias naturales, sive legem Dei in natura, rectè ad dona sive gratiæ gratis datæ species referri. Quod contra Jesuitarum & Scholasticorum, istius distinctionis

nis authorum, mentem statuit D. Ampsingus. Quia 1. Definitio Bellarmini & Jesuitarum, illi non competit. 2. Quia Scholastici gratiæ gratis datæ speciebus, eam non annumerant. 3. Quia Spirituales gratiæ, & hæ adulterinæ gratiæ supernaturalis igniculi nothi sunt diversarum *Qualitatis* specierum. Hoccine est boni & docti Logici res distinctissimas confundere? Quod verò de *adoptione* subjicit, huc non spectat tanquam exemplum dissimile. Cujus quoque ego, quoties memini, in sensu scripturæ memini. Quippe objectiones Ampsingi ex ea desumtæ erant.

Caput III.

De Voluntatis servitute & ψευδελευθερία.

De voluntatis libertate quando quæritur: *Non I.* de ipsa animæ rationalis substantia quæritur; An habeat potestatem naturalem judicij in intellectu; & electionis in voluntate. *Nec II.* de rebus politicis, Ethicis naturalibus & similibus. vide *Normam invocat.* pag. 53. *Nec III.* de potentiis animæ vegetativæ, & sensitivæ, quas *Valla naturæ* subtraxit. *Nec IV.* de potestate ad malum; quippe

pe quam habere nemo sanus unquam in dubium vocavit. *Nec V.* utrum opus conversionis in mente & voluntate, velut trunco, perficiatur. Quod mihi falsò imputat D. Ampsingus. Licet enim principium sese convertendi activum homo nullum habeat; tamen à Deo virtute divina per verbum incipiente, ac salutem operante simul, cogitationes bonæ instillantur, atq; sic mota potenter, assentitur Deo, & salutem desiderat. Quare non ex sese & per se, sed recreata, & ex morte spirituali excitata, novis donata viribus excitanti & operanti Deo assentitur, & incipit credere. *Nec VI.* quæstio est de externorum mediorum ut auditus verbi, percipiendorum, libertate. Nam voluntati est integrum, velitne audire verbum, an verò contemnere: sed de concursu ad internam mentis operationem. *Itaq; VII.* Quæstio tota est *de statu secundo, qui est corruptionis ante reparationem: Utrum tum habeat homo in voluntate vires ejusmodi: quia est res naturalis; ut ait D. Ampsingus: ut posita gratia Dei præveniente, hoc est, concreatis notitiis Dei, gratia excitante & adjuvante* (quæ sunt notitiæ Dei naturales; Excitatio quasi ex somno, & deniq; *Adjutorium* in morali consistens suasione, quæ Rhetoricis est generis *deliberativi*) *voluntas habeat potestatem,*

tem, & vires cooperandi Deo ad sui conversionem? D. Ampsingus cum Jesuitis & Arminianis affirmat; sed August. confess. Theologi & Ecclesiæ negant: Quippe qui *non nisi unam conversionis causam* agnoscunt, nimirum solam Dei gratiam in verbo prædicato oblatam: illi verò inter Deum & hominem gratiam bipartiuntur.

Audiamus autem priusquam ad alia descendamus judicium *Formulæ concord.* edit. Lipsi. Anno 1612. in octav. pag. 581. *Repudiamus & damnamus, &c. cum docetur, Licet homo non renatus, ratione liberi arbitrij, ante sui regenerationem infirmior quidem sit, quam ut conversionis suæ initium facere, atque propriis viribus sese ad Deum convertere, & legi Dei toto corde parere valeat: tamen si Spiritus S. prædicatione verbi* initium *fecerit, suamq;* gratiam *homini in verbo obtulerit, tum hominis* voluntatem propriis & naturalibus suis viribus *quodammodo aliquid, licet id modiculum, infirmum & langvidum admodum sit conversionem* adjuvare *atq;* cooperari, *& seipsum ad gratiam applicare, præparare, eam comprehendere, amplecti, & Evangelio credere posse.* Et pag. 583. inquit: *Relinquuntur igitur ante conversionem hominis duæ tantum* efficientes causæ (ad conversionem efficaces) *nimirum* Spiritus S. &

verbum Dei, *quod est instrumentum Spiritus S. quo conversionem hominis efficit.* Et pag. 656. *Credimus quod hominis non renati* intellectus, cor & voluntas, in rebus Spiritualibus & divinis ex propriis naturalibus viribus prorsus *nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari aut cooperari possint; sed homo ad bonum corruptus & mortuus sit;* ita ut in *hominis natura post lapsum ante* regenerationem, *ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua manserit aut restat, quibus ille ex se ad gratiam Dei præparare se,* aut oblatam gratiam apprehendere, *ut ejus gratiæ* (ex se & per se) capax *esse possit, aut* se ad gratiam applicare, *aut accommodare, aut viribus suis* propriis *aliquid ad conversionem suam, vel ex toto, vel* ex dimidia, vel minima parte conferre, agere, operari, aut cooperari (*ex se ipso tanquam ex semetipso*) *possit, sed homo sit peccati servus,* & mancipium Satanæ, *à quo agitatur. Inde adeo naturale liberum arbitrium ratione corruptarum virium & naturæ suæ depravatæ, duntaxat* ad ea, *quæ Deo displicent & adversantur,* activum & efficax est.

Observa *pugnam*: *Concordia* negat; Si Spiritus Sanctus initium (conversionis) prædicatione verbi fecerit, suamq; gratiam homini obr[illegible], tum hominis voluntas pro priis

priis & naturalibus viribus suis quodammodo aliquid conversionem adjuvare atq; cooperari gratiæ possit: D. Ampsingus affirmat: *Deinde* Scriptura & *Formula* concord. tantum Spiritum S. & verbum ad conversionem efficaces causas agnoscit p. 582. Quæ tamen est actio principalis per suam instrumentalem; ideoque ad unam causam referri possunt. D. Ampsingus addit voluntatem. *Tertio:* Scriptura denegat hominis voluntati ante conversionem vires, quibus &c. p. 656. D. Ampsingus verò asscribit. *Quarto:* Formula cõcord. voluntatem prorsus mortuam agnoscit; D. Ampsingus excipit, ejusmodi *similitudines non convenire in omnibus,* quo, quid velit, infra patebit. *Quinto:* si D. Ampsingus hoc vellet, voluntatem, ut *subjectum patiens,* in regeneratione, ad conversionem concurrere, nemo ipsum reprehenderet. Verum ipse, ut *principium activum,* vult hominis voluntatem, motum à gratia præveniente concurrere.

Jam sic infero ex Phil. 1, 6. *Quicquid tantum & solum operatur in homine voluntatem, id non agnoscit socium: Spiritus Sanctus per verbum Dei tantum operatur in nobis velle sive voluntatem bonam, ad actus pietatis, atq; in inceptis perficere. E. in eo non agnoscit socium Spiri-*

tus Sancti. Rursus, Quæ sese habent ut efficiens & materia, passivè ad effectum concurrens, & actionem recipiens, ibi materia non activè ad effectum concurrit. Atq; in conversione Deus sese habet ut efficiens, voluntas ut materia. E. non concurrit activè ad effectum. *Secundo* Matth. 7, 18. Luc. 6. v. 43. 44. Omnis arbor omni parte putris, & cariosa non potest ferre fructus bonos: nisi divinitus immutetur: Atque omnis homo non renatus est arbor omni parte putris & cariosa. E. non potest ferre fructus bonos: nisi divinitus immutetur. Quem locum in *Norma invocationis* pag. 49. plenius vindicavi. *Tertio*. Gen. 6, 5. cap. 8. v. 21. *Omnis imaginatio (יֵצֶר figmentum) cogitationum cordis eorum tantum est malum omni die.* Et Rom. 8, 7. τὸ φρόνημα sapientia, studium, & *affectus carnis est inimicitia adversus Deum.* Inde concludo, Quicquid, qua tale est, natura hostili adversatur Deo, atq; inimicum est ipsi: id sese non potest motum & excitatũ convertere, aut ad conversionem concurrere ac subdi Deo. Atque voluntas, ut voluntas post lapsum, naturâ hostili adversatur Deo atque inimica est ipsi: Ergo &c. Observa ad *Majorem, aliam* esse rationem inimicitiæ naturalis, *aliam* casu incidentis transitoriæ & προαιρετικῆς. Illa non nisi divina potentia auf-

fer-

fertur, *hæc* aliis naturalibus mediis. In *illis* habemus exemplum in lupis adversus oves, & viperæ natura ad faciendum bonum. *Summatim* dicam: Nulla naturalia nisi divina virtute possunt immutari. Ideoq; conversio per creationem & similes phrases potentiam divinam requirentes effertur. *Minorem* facit clariorem 1. explicatio loci Gen. 6. כָּל־ יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע, *Omne figmentum cordis est tantum malum.* Figmenta a. cordis (mentis & voluntatis) sunt cogitationes omnes, verba, desideria, consilia, & quicquid homo intellectu, voluntate & affectibus suscipit, cogitat, facit & peragit; *hoc* inquam est tantum malum. unde Christus dicit, ex corde prodire cogitationes malas, &c. Matth. 15. v. 18. 19. 20. Hoc Paulus voce una φρονήμα]ος hîc effert. quam *Beza* quidem pro ζυνέσει, intelligentia, accipit, ita tamen, ut ad praxin & omnes animæ partes referatur; *imprimis* verò ad præstantissimam animæ partem, quæ reliquis *inferioribus* dominatur. Unde *Cornelius Cornelij* sapientiam & prudentiam interpretatur. *Pasor* prudentiam, sensum carnis, &c. *Porrò*: inimicitiam exercere ad voluntatem præcipuè pertinet.

IV. Specialiter voluntatis libertatem tol-

lit Christus, Joh. 15, 5. *Sine me*, inquiens, *nihil potestis facere*. Sine me, non adjuvante, sed ut vite in palmites operante. Palmes igitur omnia, quæ facit, ut non facit nisi insitus viti, & virtute atq; incremento vitis: Sic nos nihil sine Christo, vite. Et Joh. 6, 44. *Nemo venit ad me*, (non ait ipse, nisi cucurrerit, aut voluerit, sed) *nisi Pater traxerit eum. Si mutare potest Æthiops pellem suam & pardus maculas suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malè.* Jer. 13, 23. Ac Zach. 12, 10. Spiritus S. est Spiritus *gratiæ & precum*. Nam 1. Cor. 12, 3. *Nemo potest Jesum vocare Dominum, nisi per Spiritum S.* Nota; non dicit excitati atq; adjuti potestis agere, sed omne adjutorium proprium tollit. Et voces (*Nihil, Nemo, vos, &c.*) totum designant subjectum etiam renatum. Quippe Christus *in eo operatur velle & perficere* Συν-ἐνεργέσιν. Renati igitur quicquid agunt, non suis propriis sed acti à Spiritu S. viribus donatis agunt, Rom. 8, 14. Jam concludo: In omni concursu Dei, & voluntatis activo: potest activè voluntas aliquid agere. Atq; in spiritualibus activè nihil potest agere. Ergo nec cum Deo concurrit activè. 2. Qui nihil 1. potest facere, etiam renatus, nisi peculiari & divina operatione cogitationes cordis diriguntur, 2. nec Deum

ex

ex sese invocare: ille multò minus voluntate est ante conversionem liber. Sed homo etiá renatus prius non potest. Ergo &c. 3. Quicquid est divinæ potentiæ: id hominis & ejus voluntati non competit. Atq; mutare voluntatem malam in bonum est divinæ potentiæ. Quemadmodum enim Æthiops non potest mutare pellem, nec Pardus maculas, sic nec homo voluntatem malam in bonam. Ergo id homini & ejus voluntati non competit.

V. Ex Ezech. c. 11. v. 19. cap. 36. vers. 26. Jerem. 32, 39. Psal. 51, 12. sic infero: Quicquid est solius Dei juxta causas principes & instrumentales, sive solius Spiritus S. per verbum operatio; in ejus societatem mens & voluntas humana non venit. Atq; dare novum cor (mentem & voluntatem) est solius Dei, juxta causas principes & instrumentales, sive solius Spiritus S. per verbum operatio, &c. *Minorem* probo: aufert enim Spiritus S. cor lapideum ut det carneum, dum creat novum, Psalm. 51, 12.

At regerit D. Ampsingus pag. 9. *Nasturt. Non negare se cor lapideum, nec ligneum, aut* (novo vocabulo) *clotzicum*, vnbehobelt/ *& quicquid Scriptura ejusmodi habet similitudinum.* Axioma autem sit Theologicum *Similitudines non convenire in omnibus*, aitq; esse *prædicationem*

accidentalem, cum accidit lapidi ut similitudinem gerat cum homine ob duritiem. Quam loquendi rationem ab Arminianis accepit: sed plenè explicare non fuit ausus. Scribunt autem isti in *Actis Synodalibus* esse orationes tropicas, *quæ ex orationis fine sint æstimandæ.* Atq; ideo esse ex aliis locis animadvertendum quousq; Author, qui tropis istis utitur, alibi eos extendat. *Item, Argumenta ex tropicis non à vocum formalitate esse desumenda—.* Deinde: *Scriptura ipsos homines mortuos cæcos ac tenebras appellet; quos tamen jubeat excitari, illuminari, &c. quod in figura nullo modo locum habeat,* Verum unum exemplum depravationis Arminianæ in *Actis Synod.* pag. 256. notemus: *Mortuus in peccatis dicitur homo in scripturis ante conversionem. Respond. (dicunt Arminiani) Esto Ergo inquiunt, (contra Remonstrantes) est ineptus ad conversionem sui. Concedimus; addunt Ergo novæ vires à nova potentia illi danda est, qua converti possit. Concedimus; addunt: Ergo non tantum potentia, sed etiam actus ipse conversionis à Deo est. Concedimus; tandem addunt: Ergo homo non magis potest impedire* (nos dicamus operari) *conversionem sui, quam is qui mortuus est sui ex mortuis resuscitationem impedire* (nos dicimus operari) *potest. Ex hac ratione in proprietate vocis Mortui totum argumenti*

præ-

præsidium positum habent. Hæc Arminiani. Postea mortuum esse iidem sic explicant, *ut sit idem atq; esse sub reatu mortis, cæcum esse sit esse ignarum in sacris,* ibidem pag. 164. idem artificium in confessione sua cap. 27. n. 6. sub aliis terminis adhibent. Æquè speciosè atq; audacter faciunt *Jesuitæ,* ut Bellar. lib. 1. de grat. & lib. Arbitr. cap.

Resp. autem 1. Similitudines istas omnes in suo tertio semper exactè convenire. 2. Vix concedendum, eas phrases *omnes* esse improprias, qualis est ista de morte spirituali, quam maximè propria. Nam 1. quæ de morte spirituali dicuntur, de morte, quæ reverà est, dicuntur: cum sub morte illa, quam Deus homini Gen. 2. v. 17. peccaturo minatur, mors scientiæ Dei & voluntatis bonæ, vitæq; spiritualis diserte comprehendatur. Quod supra fuit demonstratum. Unde & Scriptura vivificationem morti opponit. 2. visio quoq; duplex est: *altera* oculorum, *altera* mentis & mentium, ut Angelorum, oculis corporeis non videntium, utriq; oppositа est sua cæcitas. Ut enim in externis palpabilibus tenebris nihil oculis corporis, sic in spiritualibus nihil mente cernimus; idq; non nuda privatione illuminantis lucis externæ, qualis nocte nobis accidit, sed actuali habitus visivi in sub-

jecto recipiente ablatione & contrarij positione hæc cæcitas describitur. unde ut est divinæ potentiæ hominibus cæcis restituere visum oculorum, sic divinæ est virtutis eundem reddere mentibus. 3. ut membrum distortum per miracula restituitur. Act. 3, 7. sic homo corde contortus, Psal. 125, 4. 5. à rectitudine detortus Ecclesiast. 7, 30. recreatur, Psal. 51. v. 12. Hæ *vel* vix sunt Metaphoræ, *vel* certè non omnes: cum quædam voces à proprietate nativa vix aut parum recedant.

Sed veniamus ad argumentum præsens: *cor est lapideum*; ut igitur lapis est per se durus nec ædificari potest nisi emolliatur; sic Metaphorâ translata, nos non nisi emolliti ædificamur lapides vivi 1. Pet. 2, 5. Matth. 16. v. 18. Quod fit excitatione quadam divina, Luc. 3, 8. ex qua simplici explicatione & collatione scripturarum nebulæ Ampsinganæ & Arminianæ facilè evanescunt. *Proinde* 3. non consistunt; Homo est mente & voluntate sive corde lapideus, mortuus, cæcus, inimicus Deo, & jacet in tenebris. Et tamen præsuppositâ gratiâ, voluntate sua, quæ sit libera, activè ad conversionem *occurrit*. Item; homo est natura saxeus, & tamen potest igniculis naturæ rectè uti ad conversionem, adeò: ut qui id non facit, sit inexcusabilis. *Sed quid est cor*

saxe-

saxeum. 1. Cor usurpatur, *vel* pro ipsa cordis substantia; *vel* pro animæ facultatibus, *vel* affectibus aliis: ut in hac materia cor lapideum, carneo, & durum aut induratum molli, & emollito opponitur Ezech. 11, 19. cap. 36. v. 26. Exod. 7. cap. & seqq. *Porro: aliquando* mentem, *aliquando* voluntatem, *aliquando* totum hominem, respectu partium inferiorum complectitur. *Mentem*; ut Matth. 22. v. 37. collato cum Deut. 6, 5. & c. 29. v. 4. Rom. 1. v. 21 *Voluntatem*; ut Matth. 15, 19. Luc. 24. v. 32. Gen. 6. v. 5. ubi tamen etiam partem utramq; cum affectibus includit. Hic autem Ezech. 36, 26. totus homo intelligitur. Quicquid enim fuit cor lapideum & adversum Deo, quod ipsi non obediebat: id in hoc loco generali intelligitur. At totus homo corde, hoc est, mente, & voluntate, erat corruptus, sive lapideus. Ergo. 2. nec eo, quod sit *prædicatio accidentalis*, effugit D. Ampsingus: quippe nos non sumus *Flaciani* aut *Manichæi*, cor malum ipsam hominis esse substãtiam fingentes. Verum hac exceptione nondum satis fit veritati, & *Agend. Megapol.* Illa enim συνέργειαν gratiæ & voluntatis, verbis in *Admonit.* allegatis, omninò damnant. Verum D. Ampsingus effugia quærit. Nam cum *illa* in universum Deo conversionis negotium adscribant,

bant, *hic* inter Deum & homines bipartitur: *illa* sibi constant, *hic* sibi contradicit & illis. Contradictio enim est homo à Deo excitatus & adjutus potest voluntate propria ad conversionem concurrere: &, Homo est toto corde, mente & voluntate lapideus, seu cor lapideum; quod non nisi divina potentia immutatur. Quare non nisi potentiæ & virtuti solius Dei, tanquam non *primariæ*; ut dicunt Arminiani in confessione: sed *solitariæ & unicæ causæ*, tribuitur effectus. Logicus autem hic lapsus Ampsingi est insignis, subjectum convertendum cum causa organica, & principe in effectu consociantis. *Deniq;*: clarissimè aversionem voluntatis à Deo ac liberationem ex malo, ex hoc & similibus locis probat *August.* lib. 1. contr. 2. Epist. Pelagij cap. 20. Ex his nemo non colligit *D. Ampsingum Form. Concordiæ & Agendis Megapol.* contradicere, & ab illis infinitis parasangis distare.

VI. A qualitate & natura cordis & voluntatis corruptæ. Quicquid principio impio innato, & naturali est corruptissimum: id nullo modo ad sui conversionem concurrit activè. Atq; voluntas principio impio innato & naturali est corruptissima. Ergo. *Minor* est vera, *cum* ex dictis, *tum* originali labe, & lege peccati hominem non renatum omni parte capti-

ptivantis, & interficientis, Rom. 7. vers. 6. Ephes. 2, 1. 3. 2. Tim. 2, 26.

VII. Sumitur à *Metaphoris violentis*: quales sunt *frangere corda*, 2. Reg. 19, 26. *immutare cor*, Job. 12, 24. *habere cor contritum* Psal. 51. v. 19. Ezech. 6, 9. *circumcidere*, Deut. 30. v. 6. in externis sufficit Dei inclinatio, aut amicorum suasio moralis, & dulcia verba: *Hic* opus est divinâ virtute, creatitia non minore. 2. res duræ & rigidæ non imminuuntur nisi cum fractione aut immutatione: ita nec voluntas. 3. res omnes, ut & voluntas, oderunt effectū suæ naturæ pristinæ contrarium: ideo illi persuaderi nequeunt. Adeò quidem, quam ægrè homo sanus corrumpitur & interit, tàm ægrè voluntas corrupta, quæ sibi sana videtur, corrumpitur & interit.

At regerit D. Ampsingus 1. *voluntas est libera; quia res est naturalis*, pag. 6. Resp. 1. Si hoc Arcadicum argumentum valet, nec ipse intellectus, nedum homo totus, erit corruptus: est enim totus naturalis. Contrarium docet Scriptura, Rom. 1, 21. Matth. 7. vers. 17. Gen. 6, 5. Rom. 3. v. 9. & seqq. Psal. 143. & aliis locis infinitis, unde & rectè scribit *B. L. in explicat.* tertij Articuli symb. *Credo me propriæ rationis* (mentis & voluntatis) *viribus Jesu Christo Domino meo fidere, & ad eum accedere*

dere Nullo modo (ac ne quidem remota potentia) *posse. Sed Spiritus S. per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in vera fide sanctificavit & confirmavit.* Hic vides sicut se homo ipse non potest vocare, & illuminare mente & voluntate; nam utraq; pars verbo Dei illuminatur, Psal. 119, 35. 2. Pet. 1, 19. Fide nec salvifica (quæ est fiducia Christum apprehendens, quod in *Admonitione* ostendi) sanctificare; est enim donum Dei solitarie operantis, Gal. 5. vers. 22. Zach. 12, 10. sic nos cum illo nullo modo concurrimus, ut ad Christum perveniamus. Estne hoc citare Lutherum, ut Diabolus Psalterium? Imò tu videas, ne Scripturam & Lutherum cum serpente antiquo depraves, Gen. 3, 1. & seqq. & Psalm. 91, 12. Matth. 4, 6.

CAPUT IV.

DE PELAGIANISMO.

DIcit *D. Ampsingus non se, sed me esse Pelagianum, & quidem duplo Pelagianum, qui novo genere loquendi scribam dari actiones, quæ sint sine Deo, & res quæ ad Deum non pertineant.* Ad quam accusationem in præcedentibus satis,

tis superq; fuit responsum. 2. Pelagius nunquam sensit aut docuit, esse quasdam actiones, quæ sint prorsus sine Deo: sed gentiles quidam ut Plinius. & illi apud Jobum c. 22. v. 12. Deinde qui Pelagius & Ampsingus conveniunt, paulò post audiemus.

Negat etiam in syllogismo *Admonitionis* meæ pag. 35. thes 9. *Minorem* ganniens p. 13. *Nasturt.* me illi *nunquam veram Pelagianismi definitionem affricaturum: quam ignorare videar.* Quid dicemus? Est hæc nunc temporis Pontificiorum & Arminianorum communis exceptio; qua omnes, quotquot illis resistunt, veræ Pelagij sententiæ ignorantiæ accusant. Possent quidem multa huc referri. Verùm qui breviter & nervosè historiam Pelagiani certaminis cupit explicatam, consulat D. *Chemnit.* in LL. CC. part. 1. f. 203. interim quæ huc spectant, breviter contrahemus.

Pelagiani voluerunt gentiles esse ex lege naturæ salvatos; quem errorem solidè & prolixè refutat *August.* libr. 4. contra Julianum cap. 3. Epist. 49. q. 2. & *lib. contr.* 2. Epist. Pelagij c. 21. *lib. 1.* de natura & gratia cap. 44. *lib. 1.* de peccat. merit. & remiss. c. 11. *lib. 2.* cap. 29. *Ampsingus* ex igniculis supernaturalis gratiæ putat salvatos, ut & Arminiani. vide *Admonit.* pag. 132. & 135. ubi etiam obser-

servandum: quod *Pelagiani* rectè legem naturæ vocabant, *hi* nunc igniculos supernaturalis gratiæ in natura reliquos vocent. Ideoq; verbis, sed non re dissentiunt. Verum postea & ipse Pelagius gratiam pro natura accepit, ut habet *August.* libr. de gratia & lib. Arbitr. c. 13. inquiens: *Nam & hoc Pelagiani ausi sunt dicere gratiam esse naturarum, in qua creati sumus, ut haberemus mentem rationalem, & dominemur piscibus, &c.*

2. Postea non re sed verbis *gratiæ necessitatem* concedere ceperunt Pelagiani; quam de patefactione legis explicarunt. 3. Vocabulo gratiæ mentis, voluntatis & locomotivæ facultates acceperunt, quæ ut singularia Dei dona vocentur gratia, 2. Cor. 4, 7. Actor. 17. Hæc impostura elusit loca Phil. 1, 6. & similia. *Deinceps:* sensit & voluit gratiam secundum merita dari, *Aug.* lib. de grat. & lib. Arb. cap. 5. Verùm cum hoc refutaretur *quia non solum bonis, sed etiam malis multis præcedentibus detur*, nec sine gratia possimus posse: gratiam postea sic explicavit *August.* teste ibid. cap. 6. scribens: *cum dicunt Pelagiani hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam verò quæ datur in finem, i. e. vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi.* Quod tamen sic explicabant,

ut

ut non nisi merita humana intelligerent, quæ homo haberet à semetipso. vide clarius idipsum quoq; explicatum ibid. c. 14.

Dehinc legem vocabant gratiam, qua juvemur ad non peccandum, *August.* de grat. & *lib. Arbit.* c. 11. A qua sententia non longè absunt *Arminiani* in confess. p. 77. vide *Admonit.* p. 135. Quam opinionem ibidem *Augustinus* acriter retundit.

Postea gratiam de præteritorum peccatorum remissione venditabant. *Dicunt etiam* (sunt verba Aug. Lib. de gratia & lib. Arbitr. c. 13.) *gratiam Dei quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neq; lex est, neq; natura, ad hoc tantum valens, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, & repugnantia superentur.*

Habere etiam hominem gratiam ex seipso statuit Pelagius ibid. c. 19.

Tandem dixit, gratiam ad illud tantum valere, ut quod homines facere possunt per liberum arbitrium, facilius per gratiam impleant. Nam alios sine gratia posse obedire legi, alios verò remissiores per eam adjuvari prætendit, Quem errorem prolixè refutat *Prosper.*

Postremo, eò fuit redactus angustiæ, ut gratiæ admitteret adjutorium.

Instituamus nunc comparationem in ali-

quibus. Igitur *Pelagiani* sentiebant liberum Arbitrium homini naturaliter inesse, neque per Adami transgressionem fuisse amissum. *D. Ampsingus* scribit pag. 6. *Nasturt: Libertas voluntatis, seu libera voluntas est res naturalis, quæ per peccatum non fuit amissa, nec amittitur.* *Pelagiani* docebant triplicem homini datam esse *gratiam creationis, prædicationis Evangelij, & regenerationis,* & has gratias *semper* concurrere. Primam D. Ampsingus similiter vocat gratiam creationis; item igniculos supernaturalis gratiæ: qui sunt lex naturæ sive notitiæ Dei insitæ, Reliquas etiam simul requirit, ut sequentia docent. *Illi* etiam volebant has tres gratias concurrere; ac D. Ampsingus vult *gratiam prævenientem* (scilic. creationis, excitationis & adjutorij) concurrere cum voluntate cooperante gratiis.

Rursus: Pelagiani volebant gratiam externè & internè cooperari, testibus *Actis Synod.* p. 23. 24. quæ hominem illuminet, si non in voluntate (qua de re Arminiani *dicto loco* dubitant) certè intellectu. Ideoq; Arminiani hoc tantum differentiæ ponunt *præcipuæ*; nempe quod *Pelagiani* admiserunt gratiam Spiritus S. intus in homine operantis: *Ipsi* simpliciter esse necessarium statuant. Neque verò aliter sentire possunt, cum voluntatis

liber-

libertatem, tanquam rem naturalem defensent.

Certè hoc est commune effugium omniũ, qui *Pelagiano* dogmati fuerunt æquiores, quales sunt Scholastici, Jesuitæ, Monachij, Arminiani & Ampsingus: ut verbis quidem Pelagianismum rejiciant & damnent, sed re ipsa in multis cum illis conveniant: adeoq; plerique non cum *Pelagij prioribus* opinionibus consentiant, sed *posterioribus:* Licet Arminiani de utrisque cum Ampsingo in quibusdam participiant. Sed qui fit quod D. Ampsingus Pelagianismi insimulationem tam ægrè fert; de Arminianismo prorsus taceat?

CAPUT V.

Utrum Augustanæ Confessionis Doctores & Ecclesiæ mecum statuant Conversionem fieri necessitate absolutâ?

Item;

Num homo in conversione sese habeat merè passivè?

DOgma absolutæ necessitatis, & conversionem ex causis absolutis rejicimus.

Quam potius Manichæis & absoluto Calvinianorum decreto adscriberes. Non enim hoc, sed ordinatâ potentia, tamen divinâ, converti hominem arbitramur. Atq; idcirco inter actionem absolutæ necessitatis & voluntatis nostræ libertatem, datur medium: videlicet ordinata potestas Dei, & hominis non resistentia hostilis. Si enim homo Spiritui S. ipsum conversuro non resistat hostiliter, convertetur, Actor. 7. Absoluta verò necessitas convertendi voluntatem, decretum & actionem Dei absolutam supponit. Quam nos rejicere vel potentia resistendi actioni Dei, quâ voluntati non conversæ tribuimus, satis evincit. Porro: *Voluntas humana mota non* concurrit, quod sit cæca in rebus divinis: sed tamen non resistens hostili conatu convertitur. Remanet igitur ordinata ex viribus & voluntate Dei ordinatis convertendi actio.

Declaremus sententiam hanc verbis *Formulæ concordiæ* pag. 681. *Quandoquidem etiam juventus in scholis doctrina illâ de tribus causis efficientibus concurrentibus in conversione hominis non renati, vehementer perturbata est, dum disputatum fuit, quomodo illi, (verbum videlicet prædicatum & auditum, Spiritus S. & hominis voluntas) concurrant: Denuo repetitum volumus ex supra posita explicatione, quod conversio ad Deum,*

um, sit solius Spiritus S. opus: qui solus est egregius ille artifex, hæc in nobis efficiens: Interim tamen prædicatione & auditu sancti verbi sui, (tanquam ordinario & legitimo medio seu instrumento suo) utitur. Hominis autem nondum renati intellectus & voluntas, tantum sunt subjectum convertendum. Sunt enim hominis spiritualiter mortui intellectus & voluntas, *in quo homine Spiritus S. conversionem & renovationem operatur. Ad quod opus hominis* convertendi voluntas nihil *confert: sed* patitur, *ut Deus in ipsa operetur, donec regeneretur. Postea verò in aliis sequentibus bonis operibus Spiritui S. cooperatur, ea faciens, quæ Deo grata sunt.*

Opponit D. Ampsingus pag. 14. 15. *Qui est merè passivus, & rotatur à Diabolo: illi nulla potest adscribi culpa; est q; in delictis excusabilis.* Resp. 1. Diabolus non pro lubitu in genus humanum grassari & illud rotare potest; sed quantum Deus illi ob peccata permittit. Est enim sub Deo Job. 1, 11. 12. 1. Reg. 22. v. 22. qui est Dominus mundi, atq; ab opere providentiæ non cessat: sed naturam conservat, licet peccato infectam. Iqeoque Satanas, nisi consentiente homine ipsius suggestionibus, in gravia scelera eum conjicere nequit. 2. Absoluta necessitas hoc argumento non stabilitur. Nam distinguendum est. 1. *Inter opera*

pietatis conversionemq; , atq; opera in externis rebus vitæ humanæ. In *illis* homo est servus, lapis, mortuus, cæcus, &c. *Ad hæc* verò est liber. Quod in *Admonit.* p. 33. notaram. 2. Distinguendum *inter statum,* qui conversionem præcedit & sequitur. In *illo* in operibus divinis nihil potest; ideoq; in conversione se habet *merè passivè:* In *hoc* verò multum potest, idq; tamen non propriis, sed in regeneratione à Spiritu S. acceptis viribus Ezech. 36, 26. 27. Rom. 8, 14. Consentit *Form. concord.* ita progrediens pag. 668: *Contra verò docet* (Lutherus) *hominem excæcatum & captivum tantummodo voluntati Satanæ parere, & ea, quæ Deo displicent, facere. Quare non est in hoc negotio, somnianda ulla cooperatio* voluntatis *nostræ in hominis conversione.* Confer & seqq. ubi explicatur ex ipso Luthero, quomodo intelligenda sint, quæ in libro de *Servo arbitr.* atq; alibi de absolutâ necessitate dixerat. 3. Distinguendum *inter regenerationis initium*, quo mens & voluntas est mortua & successum. Nam cor fide vera accensum jam ipsum incipit luctam sentire inter carnem & Spiritum, atq; non hostiliter repugnans convertitur. 4. *Inter externum* factum *& internum opus.* Potest enim homo non renatus liberè ex naturæ lumine audire verbum: ut Act. 26, 26. 27. habere Zelum

Rom.

Rom. 10, 2. cum desiderio & gaudio auscultare, Marc. 6, 20. & tamen non converti. Quod tamen studium & desiderium longissimè à renatorum distat. Luc. 24, 32. Sed homo ad Internum conversionis opus nunquam activè concurrit. 5. In ipso conversionis negotio *inter vires proprias*, & alias à Spiritu S. inditas, Non *illis* sed *his* operatur homo. Vide *Form. concord.* pag. 682. & inprimis p. 673. ubi totus conversionis cursus est opus Spiritus Sancti; etiam renatorum modus agendi adscribitur ei. Ast *habet homo ante conversionem eam voluntatis libertatem, ut possit per Dei gratiam prævenientem bonum supernaturale velle, & malum supernaturale nolle: aut dogma absolutæ necessitatis efflorescit.* Quod probat: Nam 1. *quicunq; negant in homine ante conversionem eam voluntatis libertatem, qua possit per Dei gratiam prævenientem velle bonum supernaturale, & nolle malum supernaturale: Illi introducunt in Ecclesiam pernitiosum dogma absolutæ necessitatis. At vos negatis*, &c. Ergo, &c.

Resp. *Majoris* consequentia, respectu membri *prioris*, & *Minoris* respectu *posterioris*, est nulla. Nam etsi non ex sese suisq; viribus ad conversionem possit homo concurrere, tamen Dei virtute ordinata verbi, nisi repugnet, potest & debet converti. 2. Falsam su-

ſponit hypotheſin: Quaſi voluntas ſit bona & libera: Cujus tamen ſenſus & prudentia φύσει eſt Deo inimica, eaq; inimicitia connaſcitur. *Deinde; Form. concord.* pagin. 672. & 673. ita reſpondet. *Et tamen verum eſt, Quod homo etiam ante converſionem ſit creatura rationalis, quæ intellectum & voluntatem habeat (Intellectum autem non in rebus Divinis, & voluntatem, non vt bonum & ſalutare aliquid velit) Sed tamen ad converſionem ſuam (ut ſæpè jam eſt dictum) prorſus nihil conferre poteſt. Et hac in parte* multò eſt deterior lapide aut trunco: quia *repugnat verbo* & voluntati *Dei, donec Deus eum à morte peccati reſuſcitat, illuminet atq; renovet. Etſi autem Dominus hominem non cogit, ut convertatur (qui enim ſemper Spiritui Sancto reſiſtunt, & veritati agnitæ perſeverantes repugnant: Quod S. Stephanus induratis Judæis tribuit: Hi non convertuntur) attamen trahit Deus hominem, quem convertere decrevit. Sic tamen eum trahit, ut ex intellectu cæcato illuminatus fiat intellectus, & ex rebelli voluntate fiat prompta & obediens voluntas. Et hoc ipſum Scriptura vocat novum cor cecare.* Et paulo poſt: *Quando verò de eo agitur, quomodo Deus in homine operetur, verum quidem eſt, quod Deus alium modum agendi habeat in homine, utpote in creatura rationali: Et alium modum in alia ali-*

qua

qua irrationali creatura, vel in lapide aut trunco: nihilominus ea de causſa homini ante converſionem voluntas ejus modus agendi aliquid boni in rebus divinis, tribui non poteſt.

II. Quicunq; docent hominem in converſione ſeſe habere merè paſſivè: illi in Eccleſiam introducunt pernitioſum dogma abſolutæ neceſſitatis. Reſp. Eſt idem argumentum cum præcedente, niſi quod affirmatè proponatur, deſtitutum omni probatione. Explicat autem *Form. Concord.* rem ipſam ita pagin. 662. *Et cum Deus, ſeveriſſimo & juſtiſſimo ſuo Judicio, lapſos malos Spiritus prorſus in æternum abjecerit: Singulari nihilominus & mera miſeratione voluit, ut miſerrima & lapſi hominis natura, converſionis & gratiæ Dei ac vitæ æternæ rurſus capax particepsq; fieret & eſſet & non ex ſua propria naturali, & activa aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate (natura enim hominis eſt inimicitia adverſus Deum) ſed ex mera gratia, per clementem & efficacem operationem Spiritus Sancti. Et hoc ipſum vocat D. Lutherus* (Tom. 1. pagin. 236.) capacitatem (non activam ſed paſſivam) *eamq; his verbis declarat: Quando patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant: quod ſcil. verti poteſt ad bonum per gratiam Dei*, & fieri revera liberum *ad quod creatum eſt. Horum ſimilia etiam Auguſtin.*

lib. 2. contra Julian. scripsit. Porrò: quomodo sit intelligendum, quod voluntas sese *merè passivè* habeat, indicat *Form. Concord.* pagin. 680. *Neque*, inquiens, *hæc ita accipi voluit, quasi in conversione per Spiritum Sanctum*, prorsus nulli novi motus *in nobis excitentur*, neq; ulla spiritualis operatio in nobis *inchoetur. Sed hoc voluit* D. Lutherus: Hominem ex seipso, aut naturalibus suis viribus *non posse aliquid conferre vel* adjumentum *adferre ad suam conversionem: & hominis conversionem, non tantum ex parte, sed totam prorsus esse operationem, donum, & opus solius Spiritus Sancti. Qui eam virtute & potentia sua, per verbum (in intellectu, corde & voluntate hominis, tanquam* in Subjecto patiente, *ubi homo nihil agit, aut operatur,* Sed tantum patitur) *efficiat atq; operetur. Quod tamen non eo modo fit, quasi cum* statua, è lapide *formatur: aut* sigillum in ceram *imprimitur: Quæ cera neq; notitiam, neq; sensum, neq; voluntatem habet: Sed eo modo hominis immutationem fieri credimus, quem satis loculenter supra explicuimus.* Quod sit pag. præced. 679. *Nos breviter conversionis modum* ita exprimimus: Homo non renatus potest audire verbum, eoq; delectari Actor. 16. vers. 27. Marc. 6. vers. 20. sed tamen naturaliter operationi Spiritus Sancti repu-

pugnat. Victa autem voluntas verbo potentiæ cedit Spiritui Sancto, ut operetur. Quod ubi fit convertitur homo, contra verò quandiu homo resistit hostiliter Deo, non convertitur. Obiter notandum hoc argumentum ab Arminianis esse mutuatum, quod *Calvinianis contra remonstrantibus* opponunt. Confer *Acta Synodal.* pagin. 62.63. Quemadmodum & illud præter alia, quod *de fure tempore* supplicij ex fato conversо & salvato affert. Hoc enim videtur mihi ex Epistola circiter annum 1621. circumlata esse desumptum: quæ inscribebatur vom *prædestinirten* Diebe; eratq; fœtus Arminianorum.

Qui te creavit sine te, non te salvat sine te. Resp. Deus *operatur velle & perficere.* Ergo homo ad conversionem neutiquam concurrit. Et vires & quicquid accipimus aut habemus, est solius Dei, Gal. 5. vers. 22. Unde *Prosper.* canit: *Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.* Vide etiam Ephes. cap. 2. vers. 8. *Gratia estis salvati, &c.* Interim tamen hoc dictum ita possumus acceptare quod non salvet nos Deus sine fide & mediis, tanquam causis instrumentalibus, quibus salutem apprehendamus, licet & ipsa sint data ex gratia: Vult etiam quod non immediatè & raptibus nos salvet Enthusiasticis.

Actio-

Actiones sunt suppositorum. Resp. Ergone conversio est actio hominis. Imò Dei est actio, Jerem. 31. vers. 18. *Converte me Domine & convertar.* Et si hæc depravatio hujus canonis logici valet, vel infantis formatio erit sua ipsius actio; Efficiens erit effecti actio.

Quod si homo qua talis, est merè passivus in actionibus supernaturalibus: erit quoq; eadem ratione merè passivus in præternaturalibus: quia ambæ qualitates non sunt de hominis essentia: Sed accidentia extrinsecus advenientia. Resp. Non sunt contraria paria in hoc argumento Pelagiano & Jesuitico-Arminiano. Quod in *Admonition.* pagin. 53. demonstraram. Et licet qualitas ista peccabilis, quam *præternaturalem* vocat, non sit de hominis essentiâ, est tamen post lapsum naturalis qualitas. Imò & necessaria necessitate lapsæ naturæ, puta in actu signato, sed non in actu exercito. Nam ad genus ipsum sumus servi, sed non in specie respectu objecti scil. hujus vel illius peccati necessariò servimus & peccamus.

Hierosolymitani habebant voluntatis libertatem, qua poterant per gratiam (prævenientem) *velle & nolle converti.* Resp. in *Admonit.* pagin. 53. conferatur etiam *Form. Concord.* pag. 672. nobis ὁμόψηφος.

Cain

Cain habebat voluntatis libertatem, & per eandem gratiam Nolle eædem fratris & contempta gratia velle. Resp. Quis hoc negat? Et quidem de homine non renato in actione externâ civili? Scio equidem varias variorum tam veterum quam Neotericorum haberi responsiones. Chrysostom. Hom. 18. in Sen. Ambros. l. 2. de Cain & Abel. c. 7. Augustin. l. 19. de civ. D. c. 7. persvasi, ut videtur à LXX. Interpp. De subjectione Abelis erga Cainum primogenitum explicant motus affixo masculino; sed inconvenienter. Nos arbitramur quod Caino & Abele ex mandato Dei sacrificantibus: Cum non *ille*, sed *hic* ex fide obtulisset, Hebr. 11. vers. 4. Ideoq; nec sacrificium illius cum claro divinæ gratiæ signo esset approbatum: Cain ira in fratrem excanduerit. Deus verò ipsum reprehendens indicarit ei causam non accepti sacrificij; videl. quod non obtulerit ex fide: Itaq; carere eum vera fide ex effectis demonstravit. Nam fides profert bona opera: Quæ Cain non faciens jubetur benefacere (שֵׂימֵב) Igitur bonum non facientem ulterius Deus progrediens, cubare peccatum, ut cerberum ante fores, docet. רֹבֵץ enim est cubare instar canis gregis & pastorum. Ideoque ipsi Christo

Ex-

Excubias agenti in gremino Ecclesiæ attribuitur, Cantic. 1. vers. 7. Fores autem illi sunt fores cordis, quos peccatum intrare & maturare effectum anhelat, Jacob. 1. Rom. 6. c. 7. Intrans verò multum mali profert, Matth. 15. vers. 19. Hebr. 12. vers. 15. Johan. 13. vers. 2. Huic peccato (חַטָּאת, quæ vox terminatione quidem fœminina est, sed genere communis. Quod præter participium masc. רֹבֵץ & affixum in תְּשׁוּקָתוֹ vel locus Levit. 4. vers. 24. evincit) *dominari poterat* Cain, ut locomotivæ potentiæ externæ aliisq; affectibus inferioribus imperaret. Quod omnis homo potest. Sin verò de operibus bonis ex fide faciendis intelligas: Tum à præcepto (quod hic esse 1. dehortatio à peccato. 2. Subsequens dominatio peccato posita. Rom. 6. vers. 3. Verbum futuri temporis, quod in legibus & mandatis vim Imperativi habet, evincit) ad posse nulla V. Conseq. vide B. Luther. lib. de *servo arbitrio* lit. K. edit. 1526. Quod etiam B. *Augustinus* Cælestio Pelagiano respondit. Et libr. *de corrept.* & grat. cap. 3. ita hanc objectionem conculcat: *O homo in præcepto cognosce, quod debeas agere; in correctione cognosce, tuo te vitio non habere.* Item libr. de Spir. & lit. inquit; *dum legis suæ præcepta non humanis viribus*

bus metiri, sed ubi (docere) *possit, quod rectum est gratis dare implendi facultatem suis electis.* Et Lutherus d. l. inquit: *Talibus dictis ostenditur homini, quid debeat, non quid possit.* 2. Sunt præcepta ipsa Dei concio, quæ ad ossa, medullas atq; animam transit, Hebræor. 4. vers. 12. incitamentum, ut homo agat pœnitentiam, & virtus per quam operetur eam. Quo medio etiam hortatur ut peccati ad ipsum non aliter atq; mulieris, (Genes. 3. vers. 16. ubi eadem vox quoq; habetur) ad virum sit appetitus & subjectio: Eaq; spontanea ante lapsum, 1. Timoth. cap. 2. vers. 13. Genes. 3. vers. 17. 1. Corinth. 11. vers. 7. 8. molesta verò post eum, Genes. 3. vers. 16. Sed hic tamen (Genes. 4. vers. 7.) excursum vehementis furoris & malitiæ, quæ Hebræor. 12. vers. 15. est radix amarulentiæ ἐνοχλῶν: ut Cant. 7. v. 10. amoris. Nam licet in hominis membris intus, & sic ad hominem (אֶל־ quod est, ad, adversus, erga, &c.) sit appetitus ingens peccati; quod egregiè B. Lutherus ex Rom. 8. vers. 7. explicat: adde Hebr. 12. vers. 15: tamen hæc adhortatio vel pœnitenti per gratiam, si de operibus ex fide faciendis; vel ex viribus naturæ agenti, si de externa locomotiva loquaris, vires suppetere evincit.

Judæ *aliisq; facinorosis non incumbebat, ut*

in

in evitabili necessitate fur esset. Resp. Est idem Arg. cum præcedente. Conf. a. Admonition. pag. 32. 34. th. 5. 7. & 42.

Si Cain absoluta necessitate habuit voluntatem occidendi Abelem, non potest justo Dei judicio condemnari ob eadem. Resp. Δὶς κρὶς τὸ καλὸν. Hoc argumentum nunc Arminiani Calvinianis, & fortè non immeritò, opponunt: At non item nobis. Qua ratione idem responderemus, quod *Augustinus Pelagianis* respondit, lib. 5. de civit. Dei cap. 9. Ubi esse objectio Ciceronis perhibetur. Ac lib. *de perfect.* justitiæ est ipsius cœlestis cap. 2. ut & *Bellarm.* lib. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 14. Atq; *Arminianorum in Actis Synodalibus.* Cui inquam *Augustinus & Dn. D. Gerhardus* Tom. 2. pag. 844. 845. solidè respondent.

CAPUT VI.

DE SANCTITATE INFANTUM.

IN *Assertione quinta, primo*, ipsam *assertionem* thes. 52. pag. 60. positam vocat mendacium pag. 27. *Nasturt.* Homo qui cum Religione ut pueri cum tesseris, ludit: qui olim pastor Calvinianus non potuit non inter suos

suæ

suæ Ecclesiæ dogmata proponere, nunc quia se in Ecclesiis Lutheranis vivere novit, & advertit mentis suæ sensa imprudentem prodidisse, vult is videri, qui Calvinismum exuerit, & ore Lutheranorum loquatur (scil. ut Herodes se esse ejusdem cum magis animi asserebat Matth. 2.) at suo se sorex prodit indicio, & fugiens scyllam incidit in charybdin. Quid ita? Post multas effusas calumnias & & convitia hanc causam recitat, scil. quod nunquam *dixerit Sanctorum liberos nasci sanctos, sed esse sanctos, ex 1. Corinth. 7. non certè per generationem, sed regenerationem.* Probare conatur ex D. *Pomerano.* Resp. Mera est tergiversatio & effugium putidum. Nam tantum phrasin unam aut alteram carpit, cum ad rem ipsam respondere non potuerit, id aliàs non intermissurus. *Sic notus Ulysses.* Quod autem hanc formulam loquendi concernit, ipse D. Ampsingus scribit *in Program.* 27. Octobr. affixo, *esse infantes in utero materno sanctos;* Item *in Program.* 4. Februar. affixo. Ubi porro illud, ad Ecclesiæ & *Tertulliani* dictum ogganit, quod *Christiani materiale* nascatur. Et approbat has formulas **Ein geborner Christ. Ein geborner Türck.** Unde sic infero: Qui infans est sanctus in utero materno, etiam sanctus nascitur: Ut V. G, Chri-

stus & Johannes Baptista, Luc. 1. *Et contra*: Qui est caro post lapsum, nascitur caro, Johan. 3. vers. 5. & rectè: *Posito enim antecedente consequens negari non debet.* Ac, *contraria sunt contrariorum consequentia.* Sic, qui fidelis est, nisi deficiat à fide, fidelis moritur. Sed quare non nascuntur sancti, si sunt sancti? Causam libenter audirem. Fortasse ne peccatum originis negare & natura dicantur esse sancti? Quo tendunt effugia Ursini & Heidelbergensium in Catechismo suo & Verantwortung pag. 402. atq; alij, apud Massorium part. 3. pag. 277. & seqq. sed merum est effugium & inanis prætextus. Vide Mentz. Anticrocium disput. 6. & defensionem. 2. Adde hoc frustra hic dici: Ut paulò ante fuit ostensum, imò ipse D. Ampsingus utroq; modo loquitur, ut vidimus. Item, Beza scribens part. 2. ad colloq. Momp. pag. 102. *Sancti ex* gratia gignunt, *ex eadem* gratia *sanctos vi fœderis per fidem apprehensi.* Pareus in comm. super Epistolam ad Rom. cap. 11. col. 1143. *Christianorum infantes esse cives*, ait, *Ecclesiæ*, & nasci *sanctos*, *sicut cives ex civibus*, *liberi ex liberis*, *servi ex servis* nascuntur. Idem dicit Dan. candidus in Nota 4. Ac Martyr. in capit. 11. ad Rom. pag. 844. edit. Tigur. anno 1559. *Id verò*, inquit, *est meo judicio, quod sic nati sint*

filij

filij Sanctorum, ut ex bona planta ſanctâq; radice *prodierint. Et certè* Naturæ *Etimologia derivatur à* naſcendo. Vide eundem pag. 834. 3. Calvinus & alij ſanctitatem fingunt hæreditariam lib. 4. Inſtit. c. 15. 16. Quæcunque autem hæreditariè per naturam propagantur, ea ſunt naturalia.

Deinde: ſi Infantes ſancti ſunt in utero, & tamen *non per generationem, ſed regenerationem,* prius regenerantur, quam generantur. At contra.

Quicquid enim 1. repugnat S. Scripturæ. 2. Patribus & Eccleſiæ. 3. naturæ ordini, qui intendit & jubet prius fieri generationem quam regenerationem. 4. Baptiſmi praxi & effectibus. 5. ponit regenerationem ſine fide ſalvifica. 6. Ponit aliquam regenerationem ſine ſubjecti parte principe. 7. Pelagianizat: id nunquam fuerit admittendum.

Atqui verò regenerationem ſive renaſcentiam præcedere nativitatem 1. repugnat Scripturæ, Gen. 17. verſ. 14. ubi infans non circumciſus eradicabatur. Et Chriſtus de ejuſmodi infantibus natis aſſerit, quod naſcantur caro de carne damnabilis, Johan. 3. verſ. 5. Itaq; quod fœdus non recipiebant eradicabantur. Conf. *Admonition.* theſ. 63. pag. 69. 70. Actor. 2. verſ. 40. ibid. theſ. 96. pagin. 93.

Johan. 3. vers. 3. 5. 6. ibid. thes. 95. Notandum etiam Johan. 3. esse Christo disputationem cum Nicodemo de baptismo; quod Christi responsio & discursus indigitat. Istic hæc occurrunt argumenta. I. *Quicquid genitum* (non dicit conceptum duntaxat, verum & genitum. Et græcum τὸ γεγεννημένον proprie significat nasci; quomodo etiam omnes interpretes reddunt. Conferantur & loca Luc. 1. vers. 13. 57. Matth. 1. vers. 2. & seqq. Philemon. vers. 10. Actor. 22. vers. 28. Johan. 8. vers. 41. cap. 9. vers. 20. Unde est γέννησις nativitas, Matth. 1. vers. 18. cui τὸ συλλαμβάνεσθαι, concipi, passim opponitur, tanquam rei constitutio, constitutæ accidenti, multò post in Scriptura subsequenti (*ex carne*) carnali generatione Johan. 1. vers. 13. (*caro est*) carnaliter est affectum & non nisi carnalia sapit, Genes. 6. vers. 4. 5. sive est mente & voluntate atq; affectibus corruptum. Sic enim usurpari solet *vox carnis* opposita spiritui. Quæ est observatio B. Lutheri (*& quicquid est ex spiritu*) per lavacrum aquæ in verbo, Tit. 3. vers. 5. Ephes. 5. vers. 26. regeneratur. Atq; ita esse intelligendam phrasin sequentia verba, ubi dicitur, nos ex aqua & Spiritu generandos esse, ostendunt: cum nulla sit

la sit generatio ex aqua & Spiritu, præter quam in baptismo) *Spiritus est.* Quid hîc præcedit? certè nativitas carnalis: nisi regenerationis lavacrum fortassis in utero statuemus administrari. II. Debet generari ἄνωθεν, vers. 3. & 7. Quod *Pagninus* vertit *secundò*, quicum facit *Pasor* in lexico N.T. & *Scapula* in Lexico suo. Atq; ideò *Nonnus* in paraphrasi reddit τὸ δεύτερον. *Vulgatus* vertit: *Renatus fuerit denuò.* Nonnulli causam efficientem denotari volunt, reddentes de superno. Quem sensum secundariò innui non abnuerim, hoc modo; ut secunda hæc nativitas esse à Spiritu Sancto innuatur. Hoc considerans *Lutherus* vertit, **New geboren werden.** III. Illa nativitas hic intelligitur, quæ fit ex aquâ & Spiritu, sive lavacro regenerationis, Tit. 3. vers. 5. Quæcunque igitur *alia* est nativitas illâ infans caro de carne generatur ac nemo sic natus est sanctus: Nisi ex aqua & Spiritu renascatur. Proinde & Baptismus lavacrum παλιγγενεσίας vocatur. Tit. 3. vers. 5. Aliud medium regenerationis ordinarium, præter verbum in adultis sacer codex ignorat.

2. *Patribus & Ecclesiæ.* Quod demonstravi in *Admonition.* pag. 75. thes. 67. & pag. 82.

thes. 79. 80. III. *Naturæ ordini.* Naturalis enim ordo & necessitas temporis requirit, ut renascentia carnalem nativitatem subsequatur, non præcedat: nisi contra logicos ex consequentibus & natura atque tempore posterioribus faciemus antecedentia & priora. Nullum hic militat effugium: Quod *cùm* ex membro primo hujus Syllogismi, *tùm* ex *Admonit.* pag. 80. claret. IV. *Baptismi praxi & effectibus.* Semper enim in Ecclesia infantes post nativitatem carnalem, & non in utero baptizantur, ut (NB) *regenerentur*, Joh. 3. vers. 5. 6. Tit. 3. vers. 5. Non quod antea sint regeniti: quod negat Christus Johan. 3. v. 5. Paulus, Ephes. 2. vers. 3. & Johannes cap. 1. vers. 13. præteribo tacitus regenerationem non nisi semel institui ex aqua & Spiritu. Verbo: Baptizantur ut regenerentur & Christiani fiant. V. *Ponit effectum, scil. regenerationem sine fide salvifica.* Neque enim habent infantes fidem, juxta *D. Ampsingum*; Quod perinde est ac si dicerem, habere hominem sive natum sive in utero vitam sine anima. Vivere autem fide in Admonition. pag. 100. 105. est ostensum. VI. Aliquando regenerationem sine subjecti principali parte ponit. Statuit enim D. Ampsingus contra *Dn. M. Christianum Michaelis*, vivere infantem

in

in utero vita triplici, quod & Medici communiter velint. Qui etiam vix ante quadragesimum diem, multi longè post infundi animam aut vitæ sortiri initium volunt. Ergo iste Embryo ἄψυχος vel *erit* sanctus, *vel* matre interea intereunte (qualia exempla in diluvio & eversionibus integrorum regnorum crebrò sunt obvia) simul interibit. Ast quid? Num infans est regeneratus sine anima? An verò ad inferos relegabis? Sed neq; potes dicere fuisse nudum corpus, & semen corporis. Siquidem *homo erat conceptus*, Psal. 51. vers. 8. Genes. 41. cap. 38. vers. 18. 2. Samuel. 1. vers. 20. Voces autem (*ego, homo, Cain*, &c.) non de parte minus principali efferri queunt; quippe quæ non est homo. Nec ita potest explicari, Exempli causa: Eva concepit *Cain*, id est, Eva concepit vivens 1. vegetum, post sensitivum ac tertiò rationale. Nam *homo* concipitur, animâ & corpore constans; homo, inquam, peccato obnoxius & infectus, Psalm. 51. vers. 8. Genes. 5. vers. 3. cap. 4. vers. 1. Job. 3. vers. 3. 2. Homo sibi juxta speciem producturus erat simile, Gen. 1. vers. 26. Quæ benedictio non est minore virtute de hominibus, quam de aliis animalibus, totum compositum juxta speciem generantibus, vera. Videatur *Dn. D. Mentzerus*

Tom. 6. Gies. VII. Pelagianizat. Quippe Pelagiani infantes sanctos ab utero, & quidem naturaliter asserebant; Calviniani autem hæreditarie.

Opponit *D. Pomeranum.* Resp. Illud totum casus extraordinariæ illuminationis infantum ante nativitatem decedentium concernit. Quamvis tamen cum scriptum non viderim de verbis dubitem. Alibi enim ipse in suis scriptis passim diversum tuetur. Et sicubi Lutherus, Melanchthon, Pomeranus &c. de quibusdam durius locuti sunt, id in Confessione Augustana similibusq; scriptis postea clarius & magis perspicuè declararunt: ita ut nullum ante tempora Interimistica senserint Ecclesiæ nostræ ævum, errorem nullum foverint. Vide novam Considerat. pag. 188.

Repetit *etiam Christianorum formale non nasci*, videlicet *christianitatem, sed materiale, qua homo est*: jubetq; me discere discrimen inter *abstractum & concretum.* Resp. Hoc futile κρηϹφύγετον in *Admonit.* pag. 23, th. 80. interceperam & detexeram. 2. Discrimen hoc ante annos benè multos ex logicis peritissimis, plerisque Peripatheticis probè imbiberam; atq; illud etiam quomodo Dn. Philippus nimis angustè abstractum & concretum definierit. Utinam D. Ampsing. ipse rectè usur-

usurparet. Allatrat etiam thes. 84. pagin. 87. *non esse insolens ut res eadem* (qualis sit regeneratio) *sæpius fiat, & aliis atq; aliis modis repetatur.* Resp. Id verum esse de rebus nonnullis haud eo inficias. De infantibus autem rectè negavi, in *Admonit.* pag. 86. 87. eviceram. Sed capè & hunc syllogismum.

Quicquid Scriptura tantùm *ordinariè per baptismum fieri docet. 2. nullum, aliud medium infantibus ordinavit. 3. Quæ dantur ab Antagonistis, ipsis repugnant aut saltem non juvant. 4. Sunt Enthusiastica: Illud sit* tantum *semel eoq; uno & quidem ordinario modo. Atqui Scriptura infantibus tantum ordinariè in baptismo fieri regenerationem docet* Johan. 3. 4. 5. 6. Nam vox ἐὰν μὴ *nisi*, alios modos ordinarie excludit, Actor. 2. vers. 39. Tit. 3. vers. 5. Coloss. 2. vers. 12. 13. Actor. 17. vers. 10. II. *Nullum aliud medium Deus infantibus ordinavit.* Nullum n. est nullumq; nominare potuerunt adversarij. III. Loca & media, quæ afferunt *vel* ipsis repugnant, vel saltem non juvant eos vide *Admonit.* mea Assert. 5. In qua nullum argumentum potuit convelli hactenus. IV. Media quæ recensetur à D. Ampsingo, videlicet illuminatio in utero, est Enthusiastica. De quo dogmate consulatur *Augustinus* de hæresi & Augustanæ Confessionis Exegesis

Mentzēri articulo 5. Ergo regeneratio infantum fit tantum semel eoque uno & ordinario modo, videlicet per baptismum.

Quæ verò de peccatorum pluribus mediis instrumentalibus remittendorum, pagin. 34. subjicit, huc non spectant. Istic enim expressum prælucet mandatum, quo hîc caremus. Imò contrarium sonorè præcipitur. 2. Hic loquimur de Sacramento & mediis suscipiendi Christianismum: Istic de suscepto. 3. *Præterea* Ampsingus hîc falsam supponit hypothesin: Quod 1. nempe infantes sint in utero Sancti. Secundò non necessariò indigere baptismo, licet verbis fortasse diffiteatur. 3. Divellit ministerium & gratiam fidei; quippe vult & docet citra & extra verbum infantes regenerari. Quod est Swenckfeldianum.

Pag. 34. *Non*, inquit, *negavi infantes fidelium nasci filios iræ sed negavi esse filios iræ: Quia non manet ira Dei super illos*

illos, sed tollitur per regenerationem. Respons. O miserum effugium! Quomodo, quæso te, qui nascitur filius iræ, non est filius iræ? Et rursus: Si non sunt filij iræ in utero, utique non nascuntur filij iræ. Concilia hæc si potes. Quod enim respectum κατὰ τὸ αὐτὸ prætexit Ampsingus, est ludicrum cavillum ovis putidis dignum. Nam primò petit principium: Siquidem non dicendum, sed probandum erat, sublatum fuisse peccatum ante baptismum; ac posse esse respectum factũ ad fœdus Dei, quod nondum susceperant nati.

Hoc igitur semel notandum in contradictionibus effugiendis, sibi D. Ampsingum vel petendo principium, fingere diversos respectus, vel audacter calumniari & mentiri. Nam κρησφύγετα sua ad diversos respectus fingendos, ipsi maturè ostruxeram. Sed ulterius: Est hîc oppositio 1. κατὰ τὸ αὐτὸ secundum idem, sive de iisdem infantibus, non de diversis. 2. Sunt filij iræ infantes

tes toti πρὸς τὸ αὐτὸ, secundum eandem subjecti partem, videlicet subjecti totalitatem, ita ut taliter morientes condemnentur. 3. ὡσ-αύτως eodem modo & similiter, sive eodem respectu. Sunt enim infantes & respectu ipsius originalis labis infectæq; naturæ & respectu promissionis nondum applicatæ peccatores, nullo modo sub gratia & fœdere Dei, Joh. 3. vers. 5. Actor. 2. v. 39. 4. Sunt ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ eodem tempore peccatores, carentes gratia & fœdere Dei. Hoc enim modo Dn. D. Jacob. Martini in Instit. Logicis explicat pagin. 215. 216. & ipse D. Ampsingus sic applicat conditionem primam & secundam in Nasturt. pagin. 28. Alij verò multi aliter applicans, ut Scheibl. in Top. cap. 14. num. 7. Christian. Matth. in system. pag. 188. 189. Durandus pagin. 231. Quamvis ad sensum & scopum ipsum parum referat quam sequaris sententiam. Sed quid hic dicemus. Fortasse D. Ampsingus senili laborans

me-

memoria, has leges oblitus est, vel nunquam didicit ipse. Semper enim primam conditionem καὶ τὸ αὐτὸ, de identitate subjecti agentem cum tertia τῷ ὡσ-αὐτως similiter vel eodem respectu confundit. Quippe dicit esse respectu fœderis templa Spiritus Sancti. Fortassis etiam eandem cum secunda confundit, volens scilicet infantes ex parte esse regeneratos, ex parte verò non. Verùm ut generatio sive nativitas carnalis, sic etiam regeneratio, est totius subjecti & omnium partium hominis. Hic lapsus logicus est admodum turpis. Atq; adeò videmus manere illud Catonis:

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

Quid ergo? *Risum teneatis amici!* Eat vero nunc & clamet in suo Etheologico, quo præterlapso anno alios, nunc uno adjecto pronomine me perstringit: QVI neSCIt soLennes eXa Ctæ & perfeCtæ ContraDICtIonIs Leges: IsIpse ne DIspVtato. in *Nasturt.* pag. 38. Eodem mo-

modo omnes contradictiones, quas D. Ampſingo impingo, ex omni parte eſſe verè oppoſitas demonſtrare paratus ſum. Verum 2. & in hac ipſa exceptione eſt Vertumno mutabilior. Nam in *program.* 4. Febr. affixo, noluit debere infantes dici filios iræ: Quia ſint templa Spiritus Sancti. Hic autem concedit & aliud fingit.

2. *Iſthic* hunc locum (Epheſ. 2.) de infantibus Chriſtianorum accipiendum negabat, quod Apoſtolus loquatur in imperfecto; hic admittit.

Inſtat, *non negavi infantes gentilium eſſe filios iræ ob peccatum originis; ſed dixi ob ſolum peccatum originis. Nam carentia divini fœderis & regenerationis in cauſa eſt, ut non liberentur à peccato.*

Reſp. Æger animus ſemper errat. Nonne poſita definitione ponendum eſt definitum; & contra? Gentilium quemadmodum & Chriſtianorum, liberi ante baptiſmum ſunt ob hanc unicam cauſam peccatores, quod in peccatis ſint concepti & calefacti, Pſal. 51, 8. ac de-

ac deinde huic originali alia actualia addant. Ideoq; dividuntur à Deo, Esai. 59,2. 2. Carentia divini fœderis non facit gentilium liberos à peccato inquinatiores: Nec nuda promissio nostros à peccato liberat: Usq; dum applicatur, Joh. 3, 5 Gen. 17, 12. Actor. 2, 40. Ideoq; sunt æqualiter omnes *nati* infantes non regeniti peccatores, Ephes. 2, 3. excepto Christo & Johanne Baptista. 3. *Aliud* vero est jus ad fœdus, quod Christianorum infantes habent: *Aliud* juris privatio 1. ob suam propriam. 2. ob parentum incredulitatem fœdus rejicientium. Itaq; *illi* fruuntur morientes beneficiis fœderis, *hi* non item: *Illi* possunt adire bona Ecclesiæ; *Hi* minimè. Deniq; 4. per accidens, ob non susceptũ fœdus, etiam gentiles infantes peccant & eradicantur, Gen. 17, 14. *Quicunq; enim non credit, super eos ira Dei manet,* Joh. 3, 18. *& qui non crediderit, condemnabitur,* Marc. 16, 16. Unde manet, quod quicunq; damnatur ob solam incredulita-

litatem damnatur: Sicut qui salvatur solâ fide salvatur. *Hic* ob causam instrumentalem rectè usurpatam. *Ille* ob rejectam. Alias novimus quod omnia peccata sint morte digna, & impiis juxta omnia quæ egerunt, esse in corpore suo luendam pœnam. Conferatur prolixè de hac materia differens *Dn. D. Mentzerus* p. m. in Responsion. contra Johannem Crocium cap. 9. pag. 97.

PARS

In qua ad Personalia, quantum necessitas requirit, respondetur.

Si D. *Ampsingo* fuisset Cordi veritas, missa calumniarum & mendaciorum acerbitate, res ipsas tractasset: Quas nūc quia Respondere non potuit, præter vix unam thesin, aut argumentum, præterit intactas, atq; in maledicendi studio omne robur & præsidium, *more ranæ* Apocalypticæ cap. 16. collocat. Missis v. & præteritis convitijs, & sannis futilibus, ad ea tantum. quæ ad innocentiam meam defendendam atq; veritatem in lucem proferendam faciunt, huc referam.

Obj. 1. Scripseram in *admonit. meæ* præfat. ad *B. L.* pag. 24. lin. 27. D. *Ampsingum præbuisse scandalum publicum, quod publicè sit tollendum.* Et sanè, quod nunc experientia comprobat, *multos ex summis & imis* in suam sententiam pellexit, vel certè dubitationum laqueo constrinxit. Nemo igitur bonus justè negare debet, necessum esse ut publicè eatur obviam malo. Quod cum alij ante me non præstiterant, tandem prodij, &, quod justum & rectum est, feciſſe me confido: Non, ut calumniatur *Ampsingus*, *vel* temere, *vel* gloriolæ captandæ studio rem aggressus sum.

Obj. 2. At regerit, D. *Ampsingus in litem*

coram judice pendentem sese ingessit Durfeldius. Bz. Ea est Ampsingana veritas, hoc est, splendidum mendacium. Neq; enim mihi quicquam commune est cum *Rev. Concilio* in hac causa, nec illi mecum. Rev. Patres concilij, cujus accusent aut reum agant *Ampsingum* me latet. Ego verò non illorum causam (quod absit) egi: Sed, quæ publicè proffabant, *Intimationes* ipsius quasdam modestè examinavi. Quo facto liti ipsius, nihil accedit, nihil decedit.

Verum is, *qui alterius litem, ob scripta hæretica, in judicio certò pendentem invadit, est πολυπράγμων & judicis partes sibi sumit.* pag. 23. Bz. Helleboro opus est sic argumentanti: Cum multum discriminis sit *inter lites privatas*, quibus unus aut pauci sunt offensi, *& publicas*, tam Theologicas, quam politicas, quibus multi læduntur. 2. *Inter judicis partes* sibi sumptas in judicio & *publicam* in sententiam pravam inquisitionem atq; examinationem, scripto dissertatorio susceptam. *Ad lites privatas* non facilè quisquam nisi vocatus, accedit: quamvis viro bono non sit denegatum, ut etiam non vocatus veritati occultatæ testimonium perhibeat, & insidias delinquentis manifestet. Quod præceptum octavum requirit. Ad lites verò *publicas* inprimis scriptis

ptis agitatas, licet publicè aliorum audire voces, & alijs proferre, quæ vera noverunt. Exempla dantur infinita. Conferantur saltem scripta Theologorum & Politicorum in causa *Ludovici* IV. Imp. contra Papam, JCtorum pro *Ferdinando* I. adversus Pium IV. Item de successione Saxonica, de causis multis similibus. Quid dicam BB. Patres Arij, Nestorij, Macedonij, Eutychis & similium, quorum causa sub initium in aula Imperatorum coram paucis Episcopis & Politicis agebatur, nihilominus protulisse sententias? Et *causa communis* est: nempe quando multi opinione hæretica offenduntur, aut incenduntur: quod tum liceat publicè eam refutare, & dubios in veritate confirmare. Sed & hoc verum est: Dn. D. *Mentzerum*, & post eum Dn. D. *Nicolaum Hunnium* de causa, doctrina, & processu *Synodi Dordrechtanæ* publicè veram exposuisse sententiam. Verum & eandem objectionem audiverunt reverendi Theologi Wittebergenses à Calvinistis Marchiacis, à Palatinis Wurtenbergici, ab alijs alij. Nam ut habet fabula, *Lupi canes pastorales oderunt, & φιλοκυνίας accusarunt. At fortasse non noverunt sententiam veram, ideoq; pars accusans evadunt.* &c. sicut JCtus judicat de controversijs juridicis ex

prævia voce Imperatoris in Legibus; sic Spiritus S. est causa princes, qui in scriptura clara suam revelavit sententiam: ex qua Theologus potest noviſſe quid verum sit, quid falsum.

Obj. 3. Theologi nostri scripta Ampſingana Rev. Concilio exhibita (quorum alterum *scopas Veſcarias* araneorum ac alterum *collyrium*; quod etiam iumentis adhiberi potest, summo cum ludibrio & irrisione vocat) *mecum communicarunt, ut ego refutarem.* R. 1. Quare venerandi & eximij isti viri hunc laborem non suſceperint, illi utiq; satis graves habent causas; quæ nihil ad me. 2. *Putidiſſimum est mendacium*, quod mecum communicarint: quippe theſes *Admonitionis meæ*, mei privatim exercendi causa conscribebam, idq; menſe Octobri. Evenit autem ut viris honestis & amicis res innoteſceret, qui paginas istas longè ante *vigeſimum diem Novembris*, quo suum scriptum exhibuiſſe se R. Concilio ait D. Ampſingus, percurrerant. Qui postea mihi autores fuêre ut ederem: Et quidem viri honorati. Quorum auditis rationibus æquis parui. Verùm nec sciveram nec audieram D. *Ampſingum* quicquam R. exhibuiſſe Concilio. Multò impudentius est mendacium, quo me passim ea scripta in *Armonit. mea* citare crepitat. *Intima-*

timationes ipsius solas allegavi & refutavi heterodoxas: Quæ autem non publicum spectarunt lucem, nec ego vidi; quod tamen pag. 35. 36. ore ferali mihi impingit. Ex his igitur, quæ dicta sunt, syllogismi utriusq; *Minor* pag. 32 per se corruit.

Notabit etiam L.B. in *Nasturtij* impuri pag. 2. quam contemptis nominibus D. Ampsingus Theologos nostros & R. Concilium exagitet? Quanto fastu omnes nostros Theologos naso suspendat pag. 27. Quid igitur mirum, si me exagitet, si tantos viros ac tanta lumina, *genus hominum vocet petulanti lingua proscindens Philippum*, à mille parasangis *non cum illo comparandum?* Si accusationem & scriptum Theologicæ Facultatis *vestas Araneorum* vocitet *scopù vescarijs* everrendas? Si ægrotos aut stupida jumenta, quibus collyrium adhibendum? Si ejusmodi homines qui à facultate *Theologica Gryphiswaldensi* Responsum Eine Rechtsbelehrung emendicarint & (certè barbaro mõstroso; verbo) expracticarint?

Obj. 4. Porrò in tit. *Nasturt.* & pag. 28. me *Philippomastigem vocat*, h. e. flagellatorem Philippi: Sed mentitur Cres Mastix propriè est flagellum, ἀπὸ τὸ μαστίζειν: Hinc no-

men Homeromastix ortum est. Cum enim Zoilus Sophista ausus esset cõpluribus cõmentarijs Homerum lacerare, Ptolomæo Regi Ægypti eos obtulit: Sed hoc tandem loco præmij retulit, ut derisus supplicio afficeretur, & perpetuo probro notatus Homeromastix cognominaretur. Ast verò ubi ego aut Theologi Aæ. Confession. genuini Philippomastiges & obtrectatores fuimus? Non ita est: Sed pro magno DEi beneficio omnes synceri & cordati agnoscunt Philippum Ecclesiæ repurgatæ datum: qui scriptis Philosophicis, styli puritate ac linguarum cultu, & deniceps laboribus Theologicis insigne DEi Ecclesiæ ornamentum & columna extitit. Interim velimus nolimus cum gemitu non diffiteri quimus, Philipum, cum ob nimiam timiditatem, tùm ob pacis amorem, cujus, sæpè etiam cum veritatis alicubi aliquo dispendio, cupidiorem se ostendit, fu sse lapsum. Inde factum est, ut non modo post initam Concord. Witeb. 1536. paulatim castris Cinglianorum (qui ipsum totum suum & â nobis defecisse scriptitant) æquior evaserit: idq; adeò ut Elector Saxoniæ circa annum 1544. de ipso dimittendo cum Luthero agitarit. Mortuo verò Luthero liberius cum illis collusit. Id quod cum alij, tum inprimis Hutterus in *Concordia Concordi*, ab

Acade-

Academijs diversis approbata, demonstrarunt. Similiter tempore Interimistico, quo *Sphynx Augustana* obtrudebatur statibus imperij 1548, Synergian liberi arbitrij admittere cepit, præterea; in Adiaphoris multa non concedenda, concessit. Qui nævi postea magnas discordias religionis inter Theologos excitarunt, ac tandem in *Form. Concord.* à Principibus & statibus sunt correcti & sublati, teste Præfat. lib. Concordiæ. Ac licet tanti viri, tanquam Patris Venerandi nævos libenter occultaremus: Tamen gens sacramentaria & nunc D *Ampsingius* subinde Philippi consensum in fide crepans, atq; ejus pudenda nudata cum Chamo ridens, doctrinamq; corrumpens effecit, ut Theologi Ecclesiam, Philippum aliquid humani passum fuisse, præmonerent. Nam magnus & carus Philippus, major & carior veritas. Legi possunt hac de re scripta edita à Ven. facultate *VViteb.* Derexit etiam illud ulcus Hutt. in LL. CC. D. Ægid. Hunnius contra Embdenses; In Acad *Julia* Heisshus & Hoffman. in *Acad.* Jenensi Flacius, Kirchnerus, Gerhardus: In Acad. *Tubing.* Jacob. Andre. & Sigvvartus contra Pareum. In *Acad. Rostoch.* Dn D. Affelmannus: In *Pomerania* D. Cramerus & Schlusselb. In *Acad.*

cad. Lipſienſi Seineccerus. In Acad. *Marpurg.* Mentzerus, Alij alibi. Neq; quiquam, quibus nota ſunt acta publica, nobis contradicent, aut injuſtè factum cenſebunt.

P. 10. 28, 36. Philippum Philippo opponit, videl. Agenda Megapolēſes a Philippo conſcriptas. &c. In cauſa eſt Dn. Philippi mutabilitas. Perinde ac ſi dicam: Ampſingus de libero Arbitrio docet Calviniſticè, Arminianè & Papiſticè. Non eſt contradictio, Hoc enim nunc, illud olim docuit. ubi nunc leges & requiſita contradictionis Ampſinganæ?

Contra hunc *allegat Hutterum, Heßhuſium aliosq; id genus homines* (egregia ſcil: reverentia adverſus tanta lumina! Quid igitur mihi non faceret?) *qui à mille paraſangis cum Philippo non ſunt comparandi pag. 28.* &c. Argumentum hujus egregij Logici eſt, Teſtimonium noſtrarum Eccleſiarum non eſt verum: Medius terminus, Quia ſunt cum ipſo à mille paraſangis non comparandi ſive ſunt ipſo longè minores. Nullusnè igitur minor poteſt de majore teſtari? Ergonè falſum de Chriſto teſtatus fuerit Johan. Baptiſta Joh. 1, 8. Num & Apoſtoli? Luc. 24. 48. Act. 1, 22. cap. 3. 15. 1. Cor. 15. 15. Annon hiſtorici teſtimonium dicunt de Impp.? Principibus? Regibus? Vrbibus? Daniel juvenis contra ſeniores judices?

ut habet Drama Apocryphum. Ergò Argumentatur â baculo ad angulum D. Ampſingus committendo fall. cauſæ. II. Commit-tit definitionis. Nam ad teſtis definitionem non requiritur, ut ſit major, quam is, de quo teſtimonium dicit: ſed potiſſimum, ut ſit 1. vir bonus. 2. verax. &c. Vide conferas ſcripturam & JCtos. Noſtri a. teſtes de Philippo agentes ſunt 1. Numero multi. 2. Autoritate graves & veraces. 3. Ipſum teſtimonium ex tabulis publicis, ſcriptis Philippi, & Archivis Electoralibus proferunt, ex ijſq; rem demonſtrandam probant. 4. In teſtimonio ferendo conſentiunt. *Deniq;* neſcio num omnes Theologi Philippo ſint minores: Etſi enim multi ſunt minores, non tamen mille paraſangis ſed paucis tantū ab ipſo diſtant. Ex quibus & ſanæ dijudicari poſſunt, quibus Philippo contradicētes *indoctos, maledicēdi, ac calūniādi ſtudioſos, & petulāti lingua proſcindētes* (homines) indigitat pag. 36. Vere oratio homine ſacramentario & Arminiano digna.

Obj. 4. Conqverirur deniceps pag. 24. de *nominibus ignominioſis ſibi impoſitū, pag. 28. 30*: Sed fide agit punicâ & lingua viperina. Vtinam paginas meæ *Admonit.* notaſſet, ubi iſta, quæ dicit, extarent: Certè accuſatio ſtatim,

Inspectis locis, in fumos evanuisset. Nomino quidem ipsum **Intimatorem**, meq; propterea conquerens *perjurum* dicit pag. *Nast* 31. 33. Verùm novi per DEi gratiam quo honore sit magistratus quo veneranda canities, etiam vicijs & nævis laborans, quos Syrac. c. 3. recenset. prosequenda. Absit tamen ut utriq; verbum DEi & puritatem subruturo conniveamus aut furere sinamus. Quantum verò objectionem hanc concernit: testor Deum & conscientiam, quod non fecerim aut cogitaverim ipsius injuriâ & ignominiâ afficiendi causâ: Sed potius honoris & turpitudinis Noachicæ tegendæ. Solent enim non tantùm Vetustiores Scriptores Ecclesiastici, Verùm & recentiores Theologi illorum errores, qui *aut* in religionis fundamento alioqui nobiscum consentiunt, *aut* sunt collegæ, aljve viri honorati, *aut* dequorum conversione spe bona adhuc alimur, *interdum* nomine prorsus suppresso, *interdum* sub ficto, *aut* alio à materia desumpto, refutare, Unde nomen *Intimatoris*, meo quidem judicio, ad hanc rem non fuit ineptum. Si enim D. Ampsingus, ut Rector, scripsit Intimationes quasdam erroneas, Me vi loci à Conjugatis ipsum Intimatorem vocare potuisse arbitror, eas refuturus: ad elevandum probrum & scandalum, ne nomine ipsi-

ne ipsius proprio aut Rectoris expresso, Magnificentia Rectoratus, hujus hominis erroribus & vicijs, Magistratu abutentis, vel minima afficeretur ignominiâ Ne dicam ipsis Impp. a Comitibus illustribus, dici res intimari: item illi atq; ipsorum judices intimant alijs quæ sunt facienda, & exsequenda. Imò ipse Ampsingus mandata Rectoralia vocat Intimationes: Nũquid nomine ignominioso? Nõ certè. Verùm inspiciantur loca: l. ult. de bon. vacantib. l. illud 19. C. d. sacrosc. Eccl. l. 1. cod. de Adv. diverf. jud. l. contract. 17 C. de *Fid. Instrum.* l. 19. C. de Testam. l. 23. l. 25. cod. de don. int. vir. & uxor. Si autem illi omnes intimant aut affigunt Intimationes: Eecur non dici possent *vi conjugatorum*, Intimatores? Hæc igitur improbare vel malitiam vel Latinæ linguæ imperitiam supponit. Frustra proinde clamat stentor, esse peccatum contra *quintum Decalogi* præceptum. At quod illud? Præceptum *quartum* de honorandis parentibus intelligit, quod etiam in ordine quartum ab Ecclesia est habitum, inde â temporibus Augustini & ultra; ut ex claris monumentis demonstratu non est difficile. Sacramentaria autem divisio recens introducta, malis finibus malaq; dilaceratione materiarum cohærentium dis tracta, hic ab Ampsingo defenditur

Con-

Considerandum autem relinquo cordatis Utrum non citra *perjurij* crimen & rebellionis, posthabitâ voluntate magistratus, impietatem hæreticam & idololatriam rectè refutarint Prophetæ, Lutherus, Apostoli, S. Martyres & Ecclesiæ viri? Quid de Schlusselburgio dicam, qui Rectorẽ & Concilium Witebergæ in faciem Calviniſmi accusavit, & â pijs ac prudentibus Theologis defenditur? Non enim fit perjurus qui legitimo etiam Magistratui non obedit sed Deo, & falsa dogmata refellit. Taceo, quod rectoratus sigillum ipsi non esset demandatum ad hæreses spargendas & propugnandas: Verùm ad usus honestos atq; Academiæ laudatas. *Si nihil* aliud haberem, quod responderem: *hoc solum ad integritatem* meam defendẽdam contra *hominẽ magistratu* abutentem sufficere arbitrer. Verùm quid de illo dicemus, qui officio Magistratus *jurato* abutitur? Profectò juramentum Rectoris Academici est: Das er wil der löblichen Universitet, des Rahts/ vnnd gemeiner Stadt Rostock nutz/ frommen vnd ehre zugleich vnd ohne vnterscheid befürdern so lange sein Rectorat wehret ohne betrug vnd geferde. Utrum autem ferere falsa dogmata, eaq; contumaciter propugnare: Interitum vel emolumentum Academiæ & urbis vergat, judicent alij.

Derebus

Derebus alijs nihil est quod dicam. Nam in ore sunt omnium.

Est Pelagianus, Papista, Philippista, Valentinianus, Manicheus, Borborita, Anabaptista &c. R. Turpiter mentitur. Nam 1. Philippistã &c. nunquam dixi. 2. Calumniatur. Nam aliud est Pelagianizare, Papizare, &c. quod scripsi; idq; aliter juxta alias & diversas sectas, de quibus *vel* participat, *vel* ad eas collineat: *Aliud* verò est alicui integram hæresin cum omnibus circumstantijs impingere. Quod etiam expressè in *Admon.* pag. ult. præmonuitam.

Obj. 6. Reliqua autem quæ D. Ampsingus *ignominiosa nomina* (Deckelnamen; Fortè noluit committere, ut non hæc vox etiam aliquando typis cohonestaretur) *affectatè comminiscitur, partim* sunt verissimæ accusationes ab effectu sumptæ, non ignominiosa nomina: *partim* cohortationes, quibus ad suam vocationem à *πλυπραγμοσύνη* ipsum adhortor: ut pag. 67. th. 61. & p. 142. *In nonnullis* aliquanto ejus vocationem egressi ruditas & inconsiderantia in Theologicis pariter & Philosophicis tangitur. Quis hoc, nisi furiosus Orestes, mihi vitio verteret? *Quædam* in significationem prorsus alienam, ut calumniari possit, detorquet.

detorquet. Nam quod ipsum dixi busto proximum, ita interpretatur, *quod hæreticorum comburendorum morem revocare velim.* De quo hæc mea sunt verba in *Admon.* pag. ult: *Pacis studio hac vice jam manum de tabula removere placet, & potius te virum eruditum & grandævum busto vicinum ex Christiana charitate & pietate adhortari: ut des veritati &c. locum vid. pag. 89.* Hoccinè est ignominiosum? Aut num te conscientia exagitat? Tristis Erynnis busto dignum vulcanoq; convincit? Tu videris: Ego non affirmo. Ad rem: Mos funerum comburendorum Romæ â Syllâ, sibi malè conscio, scribitur introductus. Quo cinis exusti corporis in urnam collectus sepultus est. Unde *busti, rogi & pyræ* apud Romanos semper honesta & laudata est mentio, idq; tam apud Poëtas, quem Oratores & historicos. Videatur *Stephani Thesaurus* Lat LL. in voce Busti. Hæc igitur detorsio *vel* inscitiam habet causam, quæ in trivio virgis corrigi solet: *vel* malitiam; ac tum est vicium, præsertim *in scne*, grande & non ferendum.

Obj. 7. Objecit mihi *Philosophiam Ramæam*; cujus in toto scripto vix memineram, sed terminis Aristotelicis usus eram; Objecit inscitiam. Quid faciam? Ex pag. 1 *Nast.* certis conjecturis nisus video, ex cujus susurratoris

ratoris invidiâ, coram suis antehac non semel detecta, hæc promanarint ad D. Ampsingum. Qui susurrator potius cogitasset quam in facultate studij sui & ipsa philosophia sibi nimis sit curta supellex. Verùm nec omnes, qui in juventute Ramum audiverunt, sunt propterea Corydones. Væ enim alias ex D. *Ampsingi* quondam in side fratribus *Johanni Piscatori* Herborn. quem Belgæ frequenter magnum salutant: *Am. Polano, Lud. & Joh Crocijs, Martinio, Goclenio, Timplero* & alijs. Quo loco magnos illos JCtos Cothmannum, *Vultejum, Goddæum, Reinkingium, Gotrf. Antony*, & alios complures habebo? Quid de Clar. Theol. *VVynkelmanno, Mentzero, Philippo Nicolai, Schaffmanno, Finkio, Helvico, Gisenio, Affelmanno, Fewrbornio*, & similibus? Libenter tacitus præteribo Clariss. *Scheiblerum, Alsted. Freig. Libavium* & alios infinitos Philosophos: qui *partim* in multis, *partim* in aliquibus cum Ramo fecerunt. Semper in honore & præ oculis sit fons vivus & lympidus, Magnus ille Aristoteles Philosophiæ ferme dictator: Ad quem perveniendum, si alicui contingat, ut primò Rami libellis in Trivio fuerit usus: estne hoc dedecus? Verùm mitto Ramum. Certè multos etiam ex nobiliss. Peripatheticis,

quod

quod modestè dexerim, evolvi scriptores? Quin *Zachar. Ursini*, (quem opponit) *Magni* (si dijs placet) sacramentarij, autoris Catech. Heidelb. & plerorumq; scriptorum, contra Form. Concordiæ, Principes & Theologos Aæ Confessionis compilatorum, judicium brutum pari loco habeo cũ D. Ampsingo, in quos Calvinianos cõviciũ in Ramæos effusum. quadrat optimè: quippe sunt omniũ fanaticorũ blateronum facilè antesignani. Novi quidem, quod *Lipsius* & *magnus ille Scaliger* acerbe Ramum perstinxerit in *Farragine*. Cui Clar. Theologus Christianus Matthias rectè respondit in *Coll.* Ethicis, esse quidem aridum Ramum ob præceptorum paucitatem: Sed tamen vividum ob brevitatem, methodum & perspicuitatem exemplis probatam. Illi viri qui vituperarunt, quod dixerunt, de puris Ramæis rectè acceptatur; de alijs verò, qui Philosophiam etiam Peripateticam excoluerunt, & defectus Rami ex fontibus & Philosophis ingeniosissimis supplerunt est judicium verè anile & brutum.

Obj. 8. Objicit præterea *ruditatem Theologicam*. At quis D. Ampsingus in Theologia? si dicam, quod vix asinus ad lyram, à veritate non multum aberravero. Quod in *Admonitione* mea L. B. ad oculum demonstravi & aperui

& aperui: ideoq; illam malè habet. Egò verò libenter meo me modulo & pede metior meæq; tenuitatis mihi probè sum conscius. Ne verò quis calumnianti audacter credat, ipsiq; aliquid hæreat, licet ægerrimè faciam, huc aliorum de me meisq; scriptis possim allegare judicia. Age breviter ex testimonio facultatis Theologicæ Academiæ Rinthelienſis, Academiæ sigillo munitio 1622. 25. Martij, hæc pauca tantum (ne L. B. patientia abutar) proferam: *Negotium hoc totum, ait, felicissimè successit: Confluxerunt enim ex aliis Academijs studiosi eruditissimi & literatissimi. Inter eos est Præstantissimus & undiquaquè Doctissimus vir Dn. M. Jacobus Durfeldius, Osnaburgo-VVestphalus, qui posteaquam in Scholis trivialibus liberalium artium fundamenta probè jecisset anno 1614. contulit sese ad inclutam Academiam Giesenam, in eaq; ad annum 1621. subsitit, & ita in studio Philosophico, in studio orientalium linguarum, Hebræa, Chaldaicæ & Syriacæ, atq; in studio Theologico versatus est, nec non ita pietati & honestis moribus operam dedit, ut Professorum favorem promeruerit. Exercuit sese sæpissimè opponendo & publicè respondendo. Verè hoc de eo testari possumus, cum non tantum respectivè nobis in ea Academia fuerit notissimus, sed etiam sub nostro præsidio aliquot disputationes publicè*

magna cum laude ibi habuerit, qua de re honestissimum ipsi exhibuit testimonium veneranda facult. Theologica Giessena &c. Prodeat Gravissimus & magnus Theologus Dn. D. Frid. Balduinus ita Scribens. S. P. *In Domino cum officijs. Eruditissimum tuum scriptum de perseverantia Sanctorum una cum literis amantissimis, rectè accepi, Præstantiss. Dn. M. Durfeldi amice singulariter colende. Amo tuum in me affectum, laudo præclarum illum Zelum, dexteritatem verò tuam in refutando adversario deprædico; Ecclesiæ gratulor, Deoq; gratias habeo, qui subinde idoneos Ecclesiæ suæ largitur Doctores, qui se murum ponere possint contra ruinam, quibus te quoq; egregia tua talenta magno merito annumerant. Quantum enim in hac angustia temporis fieri potuit, scriptum tuum παχυλῶς percurri, & te sparsam tuam egregiè ornasse, adversarioq; tuo ita respondisse vidi, ut, si conscientiam habet, veritati manus dare cogatur. Quanquam autem de illo desperatum sit, non tamen deerunt alij rectè judicantes, qui & studium & dexteritatem tuam collaudabunt, eoq; nomine te inter benè meritos Ecclesiæ athletas referent. Perge ita præliari Domini prælia, Dominus Jesus augeat vires, multiplicet dona tua, locumq; honestum in Ecclesia monstret uti quam plures, ipsi animas fœnorari queas. Ego verò pro tuo in me affectu & scripti*

scripti accuratißimi communicatione gratias habeo maximas, operâ daturo sedulo, ut quoquo modo fieri posßit, intelligas, hoc tuũ studium mihi quã gratißimum fuisse. Vale in Domino. VVittebergæ d. 7. Aug. 1625.

T. in Domino

Fridericus Balduinus D.

Similiter Theologus Magnus & apprimè accuratus *Dn. D. Gerhardus* 26 Junij anno 626. ita ad me scribit. Salutem & officia. *Clarißime & præstantißime Dn. candidate, Fautor & amice pl. honorande ac dilecte, rem omniũ pie eruditorũ præconio dignißimam. V. Cl. suscepit & feliciter peregit, qn. Celeberrimi Theologi Dn. D. Affelmanni mei quondam amici & in Acad. Marpurgensi συνεργάτα conjunctißimi patrocinium contra Crocij invectivam suscepit. Agnosco ex hoc scripto singularia & eximia dona, quæ benignißimus Deus in V. Cl. Contulit &c.* Nisi gloriolæ fumum averßarer & prolixitas esset molesta, eadem ex *Mentzeri, Batti, Himmelij, Feurborny, M. Slekeri,* ac multorum aliorum literis possem in medium proferre: quibus futilem & caninum D. Ampsingi calamum compescerem. Nihil jam dicam de diversis oblationibus ad Rectoratus Gymnasiorum celebrium splendidos, quos etiam nisi periculosa & mala tempora obstitissent, recepissem, Ad

Professionē Theol. in Acad. Rinthel. anno 1614. fuissem vocatus, nisi Martis injuria impediisset. Tantū abest, ut ex Scarabæi stercore mihi laudem quæram. Calumniatur etiam D. *Ampsingus*, me Enthymematibus, non syllogismis in forma *de omni & de nullo* legitimè formatis secum egisse pag. 26. Verùm cordatus & B. L. perspectâ mea *Admonitione*, hanc insultationem mendacem retundet ipsemet; Cum ferè semper plenis & rotundis syllogismis usus fuerim. Num verò hoc est Enthymemata formare, si *Minorem & Conclusionem* inchoatam brevitatis causa alicubi abruperim? Imò Antagonista malitiam vel ruditatem prodit? Quippe qui rationem enthymematis ignorat. Sed quinam sunt ipsius syllogismi *de omni & de nullo*? Nimirum qui propositionibus vix probabilibus, & verè de *omni* falsis & de *nullo* veris constarent: nisi fortasse multi impij & ipsa jumenta ut asini, habebunt Spiritum S. vid. pag. 71. & 96. in Admonitione. Quod igitur de fine scriptionis Sycophantatur pag. 37. mera calumnia est & impudens mendacium. Nam contra *primum*, protestatus eram in *Admonit.* p. 31. th. 2. *Alterum* verò quod promotionem meam concernit, ex dictis evanescit. *Summatim* ut complectar: ago D. Ampsingo gratias quod calumniari voluerit; imò malefacere,

sed

sed nequiverit. Verum Zoilus ipsius ita rectè illi respondet: Maledico, *quod nequeo, ut cupio, malefacere.* Atq; ea est, natura ranarum ut tantum maledicant. Quas *Licijs* rusticis assimilans *Ovidius* lib. 6. Metamorph. ita describit.

— — — *Sed nunc quoq; turpes*
Litibus exercent linguas, pulsoq; pudore,
Quàvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentãt.
Vox quoq; jam rauca est, inflataq; colla tumescunt
Ipsaq; dilatant patulos *convitia rictus.*

Fertur etiam D. Ampsingus, nisi taceam dehinc ita in me debacchaturus, ut omnes sint admiraturi. Verùm ejusmodi superbas minas magno & constanti animo contemno, non minore quam leo Æsopicus ranam magnâ voce coaxantem dedignatus, vix pede conterere volebat: Norunt profectò multi Theologi in plerisq; orthodoxis Academijs & alijs locis, quid de me statuere debeant: Norunt alij viri honesti meam vitam & mores innocentes; Norunt omnia: quibus judicium lubens meritoq; committo. Atq; omninò arbitror non me, sed se suosq; mores in virulentis suis *Chartabellis* depinxisse Ampsingum, ita ut nullus pictor melius quivisset. Nam ut rectè *Favorinus* apud Gellium: *Turpius* est, ait, *exiguè atq;*

frigidè laudari quam infectanter graviterq; vituperari. Quia qui maledicit, quanto id acerbius facit, &c. tanto minus fidem capit. Sed qui facundè jejunèq; laudatur, destitui â causa videtur. Quare ut concludam: nisi D. Ampsingus in posterum ad rem responderit, ipsum omni responso me dedignaturum norit. Et quoniam calumniatus fuerit & conviciatus, non respondere potuisse, sed victum palmam tribuisse, mihi tribuam & confidam.

CAPUT II.

Constitueram hîc quidem canere receptui, nisi loca quædam Nasturtij Ampsingiani *essent, quæ non illepidè illustrarentur. Quod cum proprium sit Philologorum, ego brevis ero.*

Igitur.

INscribit *D. Ampsingus* Asam suam fœtidam, *Nasturtium D. Johannis Asseveri Ampsingi.* De *Nasturtio* quidem aliquid in Exordio hujus *Antidoti* dictum fuit. Annotat verò *Dioscorides* & ex eo *Matthiolus* quod, præter alia effecta, venerem stimulet, sitque erucæ & herbis cognatis simile. unde juvare potest eum, qui, ut ait *Horatius*, vivit, aut

Vixit

Vixit puellu nuper idoneus
Et militavit non sine gloria.

IOANNIS] Hæc vox latinis est prorsus nulla, ut nec Hæbræis: nisi derivatura esses ab עָנָה respondit, afflixit. Codex quidem sacer atque experientia evincit multos nomine *Johannis* gaudere: quod est ab Hebræa radice חָנַן chanan, gratificari, in gratiam recipere, gratia prosequi. unde venit יְחָנָן Jochanan. 1. Paralip. 12. 12, quod alibi scribitur יְהוֹחָנָן; *Iehochanan*. 1. Paralip. 26, 3. Syrus in N. T. effert *Jauchanan*. Vide de his & similibus prolixe D. *Paul. Crell. in Prompt. Biblico.* Ut autem Latini euphoniæ causa C. omittunt in ח. litera, sic Græci literam utramque, c & H in medio vocis: Quippe quæ aspirari nequit; nisi habeat ῥ Rho. Und scribunt ἰωάννης. Latini verò H. rectè interserunt, quemadmodum & aliæ nationes. Gaudent enim hoc nomine gratioso plenè scripto. Quod quia scriptis & moribus D. Ampsingi non competit nec ipse Nomini inseruit, ut indigitaret non esse ab hac radice, sed ab עָנָה respexit, afflixit. Hinc enim descendit nomen יַעֲנָה *Buxtorfio* ulula, *Förstero* strutiocamelus. Quæ aves sic dictæ putantur, quod fame & siti afflictæ miserè sibi

ferali voce invicem respondeant. Qualis est cantus nostri choraulæ in virulento *Nasturtio*, longè distans a Philomelæ. Ex יְעָנֶּה facile fit יוֹעָנֶּה: Quod quoque factum vidimus in Joakim, Jojada, Josua sive Jehoschua &c. si igitur abominatur nomen gratiosum, delectetur ferali & misero. *Strygnium*] Rz. est vocabulum in civitate Græca nusquam obvium. Nam στρύχνος & στρύχνον sæpe invenitur, non a. strygnium: Nedum per g. sed χ. sive ch. scribitur. *Dodonæus* quidem alicubi ex *Theophrasto* legit στρύγνον: Sed loca Theophrasti omnia inspecta id refutant. Confer etiam *Steph.* in Thesau. Græc. ling. *Scapul.* in lex. *Dioscor. Bauhin.* & similes. Fortasse D. *Ampsingus* voluit esse festivus, & in vocibus, *Nasturtium* & *strygnium*, aliquid φιλομαθὲς exhibere. Verùm hic lapsus ei, ex Theologo in Medicum Μεταμορφωθέντι potest condonari: quippe qui Theologiæ deditus, tam fuit versatus in re herbaria atque Elephas in agris Europæis, aut Trochilus in urbibus. Dicēt fortassis alij στρύχιον sive cincinnos muliebres menti medici obversatos, quorum memoria deceptus scripserit στρύγνον. *Philippomastigi*] Rz. Quod nomen, quam calumniam sæpè repetit. Respondi verò cap. præced. Ipse verius

rius est Theologo mastix; imò Philippo-mastix. Sæpè n. Philippi verba, dum in me flagellat, ipsum Philippū flagellat. Quod crimen cōmittit pag. 11. 12. 14. 37. & in ipso impuro indice.

Magistri mendaciorum). Imò ego sum ritè & solenniter Philosophiæ Magister creatus in Acad. quondam *Giessena 1617.* promotore viro Clariss. & Excell. Dn: M. *Johanne Steubero*, tunc Philosophiæ Naturalis & Græcæ linguæ, nunc verò SS. Theol. D. & Professore in Acad. *Marpurg.* amico & fautore meo honorando: Rectore autem Magnifico Dn. M, *Christop. Scheibl*, &c. sit D. *Ampsingus* tamdiu *mendaciorum Doctor*, à patre mendaciorum informatus & formatus Joh. 8. 44. 1. Reg. 22. 22: donec sese ritè in aliqua Europæ Acad. promotum Doctorem veris documentis probaverit, meq; mendaciorum Magistrum esse convicerit. Adeòq; hanc injuriam ad ipsam Academ. Gissenam, nunc Marpurg. & ejus illustriss. patronos pertinere non est dubium.

Sacræ Mattæologiæ]. Hic primò accusat *Ampsingus* nostrarum Ecclesiarum confessionem & fidem, quod sint Matæologia. Quam *Sacram*, qua significatione vocet ipse noverit. Propriè profectò non loquitur, sibi in adjecto contradicturus. Quippe matæologia non est sacra, sed prohibita & damnata. Erit itaq;

ex contradicentibus ironia, qua homini Arminiano - Calviniano nostra doctrina videtur sacra. h.e.minimè sacra, sed maledicta Quomodo *Auri sacra fames*, est ingens, insatiabilis & scelerata fames Virg. lib. 3. Æneid. 12. Horat. lib. 2. carm. Vid. etiam Festus & Budæus. Vicina est significatio, qua sacrum pro *magno* sumitur. Quale est *Os sacrum*. Quum igitur me sanæ doctrinæ studiosum ita criminetur, ipsam nostrā theologiam pro magna Matæologia homo impius habebit.

Præterea fontes Græci & viri docti legunt Matæologiam non mattæologiam, T duplicato, Est n. μάταιος vanus, nō μάτταιος: nisi Ampsingo; Itemq;.

— — — *Pictoribus atq; Poëtis*
Quidlibet audendi semper fiet æqua potestas.

Proverb. 26. 5.]. Hos versiculos sacros Ampsingus non intelligit, Imo me illis immeritò traducit: Siquidem ipsius stultitiam non unam describunt. Nam כְּסִיל idem est, atq; tortuosus, inconstans, stolidus; Unde *Oryon Sydus* כְּסִיל stultus nominatur: Ac mensis cisleu nostro novembri respondens, quod inconstantem tempestatem adferat. Sic אִוֶּלֶת stultitiam spiritualem & mundanam significat. Stultus autem in genere est omnis is, qui

qui opera DEi magna contemnit. Pſ. 92. 7. De ſtultorum actionib. agit Salomo paſſim in Proverbijs & Eccleſiaſte : aitq; quod licet ad tempus floreant, tamen ignominiam tandem ſuſtineant Prov. 3. 35. quales ſunt adulteri cap. 6. 32. 33. ſcortatores Gen. 34. 7. *Nam fornicatio, vinum & muſtum auferunt cor.* Hoſ. 4. 11. & calumniatores Proverb. 10. 18. ſtulto è *velut riſus facere abominationem* verſ. 23. Cujus cor prædicat ſuam ſtultitiam, cap. 12. 13. eamq; expandit 9. cap. 13. 16. *Nam in ore ejus eſt baculus ſuperbiæ* cap. 14. 3. & delictum verſ. 9. *Eſt & ſtulti ſtultitia dolus* verſ. 8. qui *cum nemine agit pacifice* Prov. 29. 9: ſed ambulat in tenebris Eccleſ. 2. 14, Dicit ipſe ſtultus de omnibus, *ſtultus eſt.* Prov. 10. v. 3. ideoq; nec Deo placet. vide plura Prov 18. 2. 6. 7. cap. 20, 3. Eccleſ. 7. 10. Prov. 19. 1. cap. 27. 30. cap. 24. 7. 30. c. 26. 1. 3. 4. 5. 6. & ſeqq. c. 27. 2. ſunt & ſtulti qui piorum vitam deridēt Sap. 5. 4.. ſunt deniq; ſtulti omnes falſi Doctores Jer. 10. 21. Hoſ. 9. 7. Quales erant Phariſæi & Scribæ Matth. 23. 17. 19. Luc. 11. 40. Sunt qui Deum ignorant Prov. 9. 1. c. 14. 18. ut gentiles in ratiocinationibus ſuis Rom. 1. 22. & impij hæretici Pſ. 1. 3. Pſ. 12.

Cùm verò omnes ἐπεχδιδάσκαλοι ſint ſtulti, quid homini fiet Arminiano-Calviniano? Quid loquenti falſa? calumnias? convicia? mendacia?

dacia? cũ nemine agenti pacificè? Quid reliquis stulti Epithetis insignito & affecto? Ejusmodi stulto non respondebis ita, ut *vel* approbes ejus malam vitam, aut falsam doctrinam, *vel* imiteris *vel* etiam cum illo conniveas. Nemo autem cum illo colludet, aut sinet eum irreprehensum manere in sceleribus, hæresibus, pigritia, scurrilitate, calumnijs, aut similibus vicijs. Agas autem prudenter ne te in pericula conijcias, sed ut medium teneas. *Responsio* proinde fit pro objectæ stultitiæ diversitate, in qua non assimilaberis aut æquaberis ei, תְּשֻׁוָּה. Hoc enim modo hoc verbum usurpatur Esai. 40. 25. Prov. 3. 15. Es. 7. Atq; ex collatis locis apparet, tam ad mores & qualitatem, quam ad quantitatem referri: Ideòq; pro objecti natura esse applicandum. Notanda quoq; est phrasis, *in oculis suis*: quæ est descriptio hominis superbi, & sibi in stultis suis actionibus, vita ac moribus confidenti, soliq; placenti. conf. Prov, 3. 7. Esai. 5. 2. Prov. 26. 12. Proinde LXX. Emphaticè verterũt Prov. 26. 5. 6. ἵνα μὴ φαινῆται σοφὸς παρ' ἑαυτῷ, *ne videatur* sive imaginetur *sibi esse sapiens in seipso*. Et vers. 12. reddunt: *Vidi virum* δόξοντα παρ' ἑαυτῷ σοφὸν εἶναι. *Applicemus*. Non ego mihi sapiens in oculis meis videor, nec φίλαυτος

aut

aut confidens Pſ. 131. 1. Sed *Ampſingus*, novis dogmatis Arminiano-Calvinianis ipſe ſibi plaudens, confidens & ſuperbus: Quibus ſeminandis gloriolam aucupatur. Ego verò illum ex verbo Dei increpo, & ſtultitiam ſuam ipſi demonſtro, ne ſibi ſapiens eſſe videatur, enecui ipſum gladio verbi, ut vivere hilaris & reſpondere ad rem ipſam nihil potuerit. Zach. 13. 3. Veruntamen, quia ſtultitia à ſtulto, etiam piſtillo contuſo, non recedit Prov. 27. 22. dehinc ipſum juxta præceptum Apoſtoli fugiam Tit. 3. 10. Alijs modis alij ſtulti corrigantur. Exempli Gr. Calumniatores & mendaces juxta Titi Imperatoris legem aſſiduè in foro flagellis & fuſtibus cedantur, & noviſſimè traducti per amphitheatri arenam, vel ſubijciantur in ſervos, vel in aſperrimas inſulas traducantur. Aſinis verò locuturis de ſcriptura os obturetur: Ne de rebus magnis, quales ſunt Theologicæ, loquantur Prov. 17. 28. Verùm proh dolor ejusmodi ſtulti magnam partem, moriuntur in ſtultitia ſua Prov. 10. 21.

Roſtochi 1528.] Ingens vel lapſus vel malitia eſt ponere 1528. pro 1628. Illo enim anno *Ampſingus* cum *Aug. Ferbero* ſuo Typographo nondum erat in rerum natura nec *Ferb.* hoc & alia ſcripta multa & ſcandalorum plena, nomine diſſimulato, publicare poterat.

In ipſis

Irrepsit in hoc Vitiligium pag. 1. 3. §. 11. 13. 14. & passim] Respondi verò ad hoc ἔκκλημα cap. præced. object. 2. Deindè vitilitigator est idem quod Sycophanta q. d. vitiosus litigator. *Plinius* lib. 13. *Ergo securi etiam contra vitilitigatores; quos Cato eleganter ex vitijs & litigatoribus composuit.* Est ergo idem quod calumniator. Talis autem quis est si non *Ampsingus?*

Vescas seu telas Araneorum] Ergone tibi sunt nostri venerandi Theologi *Aranei?* os impurum & impudens! verbum Dei & nostra sana doctrina est *vesca Araneorum?* Increpet te Deus, *Satan.*

Pag. 2. *Responsum* EineRechtsbelehrung] Theologi dant consilia Theologica, quod etiam nomen omnes usurpant: secuti Paulum 1. Cor. 7. 25. 40. Responsa verò dare est in hac speciali significatione, propriè oraculorũ, teste Vergil. lib. 9. Æneid. 27. Tacit. lib. 13. & Virgil. lib. 6. 69. & 160. item Aruspicum & Vatum similium. Cicer. lib. 2. de Nat. Deorum: Ac deindè JCtorum, quorum *decreta responsa* nominari solent, Authore Cicer. pro *Murena.* vide & Calvinum in Lexio juridico.

Emendicarant.] Hanc injuriam & calumniam diabolicam ad Rev. concilium propellendam remitto. Hoccine est emendicare responsum,

sponsum, si sanis & magnis Theologis invecta scandala conqueramur, & ut malum tolli possit commodius, eorum audiamus consilia?

Expracticarantq;.] Barbarum & monstrosum verbum, barbaro & monstroso ingenio dignum, Ideoq; ut habet Poëta:

Materia rebus conveniente suis,

Loquitur *Ampsingus.* 2 Germani hoc verbo utuntur pro re aliqua injustis dolis & scelere consequendâ. Verum quam aliam reverentiam adversus pios viros ab animo hæretico expectares?

Nomine collyrij inscribebam.] Collyrium est quidem oculorum medicamentum, ut refert ex *Celso Stephanus.* Adhibetur etiam jumentis. Nam *alvo subjicitur in cura equorum & boum.* Colum. lib. 7. *Salis sextans cum decem cepis conteritur, & admisto melle decocto, collyria immittuntur alvo, atq; ita citatus bos agitur.* Inditur & foramini urinæ *Plin.* lib. 20. cap. 18. videte, quotquot tangit pietas, & verus Dei Zelus, quo loco Spiritus Sacramentarius habeat nostros Theologos.

Crepitaculo.] Græcè κρέκαλον est instrumentum manibus percussum. Columella lib. 9. cap. 11. *Crepitaculis æreis, aut testarum plerumq; jacentium sonitu terrebatur fugiens juventus.* Vide & *Martialem* lib. 14. 54. Ast ego

nec-

nec manibus nec ore nostrorum Theologorum percussus & aurem vulsus reddo sonum mei scripti, cujus supra causam recitavi. Quin nec nostrorum hic usus sum operâ, sed præter scripturam ducem, aliorum piè doctorum scriptis, & judicio proprio, ex scriptura formato. Quamvis sedere ad pedes præceptorum, eosq; crepantes sapientiam audire, à Deo & hominibus laudetur. Verè autem *Ampsingi* discipuli crepitacula dici nequeunt; cum vix toties, aliquot annis scientiam eructet & crepet, quoties γλαυκεῖον ὦον invenitur, aut quot sunt Thebarum portæ.

Serpentina prudentia.] Lupus accusat agnos turbati fontis. Attamen rectè dixit usurum se *serpentina prudentia* inflatus ab antiqua serpente 2. Cor. 11. 2. Joh. 13. 2. 2. Tim. 2. 26. Ejusmodi verò armata dolis nobis infernalis *Alecto* sistitur Virgil. Æneid. 7. Nam Groß macht vnd viel list/ sein grawsam Rüstung ist. Jussit autem nos Christus non *tantum* serpentina uti prudentiâ, sed etiam columbinâ simplicitate cum rectitudine & pietate. Matt. 10. 16. Psal. 25. 21. Quas virtutes *Ampsingus*, commissa fallac. divisionis, more Satanæ discerpit. Matth. 4. 6.

Asserueram cum Augustino & Erasmo gratiæ creationis. Et. *Erasmum* cum *Ampsingo* ut Synergi-

nergistam principes protestantes in *Formulæ concordiæ* refutant. *Erasmum* inquam *Pontificium*, qui fuit hostis B. Lutheri infensissimus, in eumque suam Diatriben de lib. arbitrij synergia & Hyperaspisten evibravit. Quos libros Lutherus refutavit & opinionem ejus Principes d. l. Ecce ut sorex hic latibula quærens se prodit ! ut corvi se lavantis nigredo ! Augustinus verò gratiam creationis in sensu *Ampfingano* nullibi agnoscit ; sed passim refutat. vid. cap. IV.

Asserueram præterea cum Johan Arnd Theologo illo vere practico]. verè ille fuit Theologus practicus & Christianus, non hypocrita ;. Quem utinam *Ampfingus* in vitâ & doctrinâ imitaretur. At *Ampfinganas* gratiæ divisionum corruptelas *Arndus* non habet, sed prorsus refutat & execratur. Dolendum profectò *Ampfingum* quoq; esse ex serpentibus, qui cum Fanaticis rosæ-crucijs & Weigelianis sub nobili *Arndi* salvia sese abscondunt, imò ut aranei ex illius melle virus exsugunt. Fuit homo pius & doctus *Arndus* ; Attamen homo usus phrasibus alicubi minus probatis. Qua de re legi possunt, præter alias, Dnn. Theologorum Jenensium literæ, Lunæburgi. 1625 editæ in tractatu, cujus Titulus Warhafftiger &c. bericht von den vier Büchern Johannis Arndten. &c.

Pag. 4. *Scholasticos*]. De quibus rectè con-

sules

sules *Melanchr.* in Apol. Aug Conf. *Chemnit.* part. 1. LL. CC. *Sadeelem* in tractat. de verbo Dei. Dn. D. *Gerhard.* in Method. Stud. Theol. Dn. D. *Meisn.* in Scholis Academ *Alsted.* in paratitlis theol pag 352. & pag: 404. *Betanum* Theolog. Scholast.

Pag. 6. *Rapsodian*]. Est â verbo ῥάπτω & ᾄδω q. d consutus cantus. O calumniator & conviciator pessime: num nõ cento tuus est ex hæresibus, Pelagiana, Jesuitica, Calviniana, Sociniana & Arminiana similibusq; cento πολύῤῥαφον.

Augustanam confessionem]. Fraudem insignem committit. Quam enim confessionem, quam editionem, quo fine & quandiu recipiant, eâq; glorientur Sacramentarij, in Novâ Consideratione ostendi pag. f. 8. 22.

Pag. 9. Obsetvetur novum vocabulum latinum *Clotzicum*: imitatus rabbinos, qui â populis & nationibus in quibus agunt, subinde novas voces mutuò acceptas in urbem Hebræam, vel potius Rabbinicam propagant.

Pag. 10. *Blax*]. Bardum & stupidum significat: ut vult *Festus*: estq; â blito (βλήτω) genere oleris, quod est sine sapore & acrimonia ulla. Vide *Plin.* lib. 20. cap. 22. & *Plautus* in Pseud. *Suidas* verò scribit βλίτων: unde, est blitcus, inutilis, insulsus & vecors. Plautus in Truc. 3. scen. 4. *Blitea & lutea meretrix.*

nisi

nisi quæ sapit ad rem suam. Qualis & Ampsingi est doctrina & vita, certè δὶς ἀλὸς πατῶν blitea. Ego verò contempto, si non hoc blace sed urtica & vipera meâ simplicitate benè sum contentus. Psal. 25.

Pag. 10. 11. *Qui inciderim in talem adversarium non theologum sed Mataeologum sed Batologum, sed spermologum*]. *Theologi* honore me non dignor: libenter manens φιλόλογος; Nec sū *Mataeologus*, quâ voce ipse *Ampsingus* suū nomen κεκκύζει; imò barbarismum in T. duplicando ἀπαιδεύτως repetit. Nec *batrologi* definitio mihi competit. Est enim à Batto quodam: qui cum non unus fuerit, authores variant. Vid *Stephanum* in Thesaur. *Erasm.* in Chil. *Chemn.* in Harm. c. 51. *Norm.* Invocat. c. ult. *Scapula* verò in Lexico Græco tria significata verbi τὸ βατολογεῖν breviter enarrat.

De *Spermologiâ* Beza non inerudite locum ex *Eustachio* adfert in Annotat. in cap. 17. Act. cujus summa huc redit, notari 1. avem semina populantem 2. eos qui in foris ea, quæ sarcinis exciderant colligebant, atq; inde victitabant 3. Homines nullius pretij; qui 4. nulla cum arte eam, quam ex quibusdam auditionibus adepti erant, scientiam ostentabant. Applicemus. *Ampsingus* 1. Quæ ex Calviniano-

Arminian. & Jesuitarum olidis mercibus exciderant, vel lectione tenui, aut auditionibus, ex illorum sarcinis, hauserat, necdum plene intelligit, jam ἀλαζόμενος disseminat, ut sibi nomen acquirat. 2. In *Nasturtij* chartabella satyrica, & alijs rapsodijs controversis tantum nugatur, & eâdem oberrans chordâ, repetendo errores & argumenta eadem straminea, insigniter βαττολογῶ & ἀπερμολογῶ. 3. imitatur Epicuræos & stoicos, qui quemadmodum Paulum, sanctum Dei organum, spermologum vocabant Act. 17. 18: Sic me ex Paulo & alijs vera docentem *Ampsingus*. 4. *Stephanus* ait esse idem, quod *locutulejum*, h. e. hominem qui magnam verborum vim inaniter profundit. Nec hoc nomine non eleganter *Ampsingus* erit Spermologus.

Pag. 12. 14. 23. & seqq. Sum huic Asino Asellus; pag. 2. Arcadicus tibicen. De pastoribus arte arcadica ludentibus agit Virg. Eccl. 7, Servius atq; Erasmus in chiliad: Qui erant tibicines præstantissimi. Quippe apud quos imperitiam musicæ fateri erat turpissimum. Vide *Cœlium Rhod.* lib. 9. c. 9. *Taubman.* in Eclogas.

Fuerunt etiam in Arcadia asini reliquis *majores & præstantiores*. *Plin.* lib. 13. c. 10. Si v. ego sum Arcadicus, sit *Ampsingus* Cumanus, Verùm & contradictio est, esse Arcadicum, hoc

hoc est magnũ Asinũm &tamen esse asellũ. Unde apparet Midam quidem auriculas, hunc verò asini mentem habere. Quid a. dicemus? Hæc contumelia mihi cum primis Christianis communis est: qui *Asinarij* vocabantur, quasi caput asini adorarent. *Tertull.* in Apolog. cap. 16. *Magdeb.* cent. 3. fol. 12. Colludit eo quoq; *Arnob.* cõtra gentes lib. 6. p. 232. 233. edit. Elmenh. *Minutius* Felix in octav. pag. 360. 388. Qui tamen ipsi erant verius Asinarij & pecorum adoratores: ut ibid. probat Minutius & Paulus Rom. 1. Nam referente Ovid. lib. 1. Fast.

Morte dedit pœnas autor clamoris (asinus) *& hæc est*
Helleſpontiaco victima grata Deo.

Tacitus similia refert de populo sancto lib. 5. Histor. & *Vitruv.* in eum. Videntur a. gentiles ad hoc convitium instigati ex occasione idololatriæ vitulorum Jeroboamicorum. Quod etiam sentit *Cornelius Cornel.* in cap. 32. Exod. Nam tantum capita sine corporibus fuisse sentiunt *Hieronym.* super Oseam c. 7. & 11. v. 13. *Ambros.* lib. 1. de pœnitent. cap 8. *Lactant.* lib. 4. c. 10. *Auguſt.* in Ps. 73. quendam locum. Vulgatus & LXX. vitulas fuisse indigitant: fons hebræus tamen constanter ubiq; nominat אגלי non אגלות vitulos non vitulas. Quod Jesuitis, Riberæ in Hos. Sanct. in libb. Regum & *Cornelio Cornelij* in Pentateuchum opponimus. Porrò, scriptura vitulos, non capita vitulorum, fuisse indicat & affirmat. Egregiè igitur mentiti sunt gentiles.

Fuit etiam Christianis objecta asinina ruditas, quos vocabant *illiteratam frequentiam*, teste *Prudent.* in hymno 14. v. 82. Ἀνθρώπους ἰδιώτας ut *Lucianus; brutos & stolidos*, apud Arnob. lib. 2. *De ultima fece collectos imperitiores* &c. *Minutius*, vide etiam *Justinum* Apolog. 1. *Tertull.* in apol. c. 1. & 2. *Theodoretus* sermone 8. ferè catalogum ejusmodi conviciorum exhibet. Non prætereundum etiam, Christianis ejusmodi flagitia objici & objecta dispergi à vilissimis: Quales erant *lenones, aquarij, arioli, mathematici*: testibus centuriatoribus ex Tertulliano.

Sycophanta pag. 9.] ℞. Ferè idem est atq; calumniator. vid. Steph. thes.

Holophanta pag. 13.] *Festus* ait esse genus hominum quod ob suenda mendacia miserrima mercede conducatur. Ego v. nihil sum mentitus. Proinde retorturus his Plauti verbis, in Curc. Act. 4. sc. 1: *Holophantam an Sycophantam hunc magis dicam, nescio.*

Pag. 25. 30. & seqq. nonnullis redit *Ampsingus* ad asellum suum: Quem fortassis haud illibenter aspicit in via asinaria. Pag. 2. *tibicinem Arcadicum* vocarat. At quare? Num ut rudat suum *jà, trinà, linà, ahà?* Verum non vult me Amsingus Choraulem. Rectè: Inserviat ipsi Hylas, Tigellus & Philumenæ. At hic asinus fortassis *Amsingo*

Intempestivos edidit ore sonos.

Qui est versus Ovid. lib. 1. Fast. in descript. Org. Bacchi: Ad quæ *Vene-*

Venerat & senior pando Silenus asello. &c. vide seqq.

Pag. 38. Jam *tertiò* ex Prov. 26. 4. & seqq. me traducit. Væ a. illis qui ita scripturâ contra præceptū secundum abutuntur, sese, scurras & conviciatores sententijs inde ad convitiandum exscriptis exhibent. Ach GOtt der thewre Name dein/ muß jhrer Schalckheit deckel sein.

Ibid. se consilio malignantium miserè divexatum & pressum juvari & sublevari precibus ad Deum petit. Quinam a. sunt cœtus malignantium? Hæc verba sunt Christi in cruce precantis Ps. 22. v. 17. quæ Ampsingus sibi applicat. Nunquid autem ipse est Christus? Nos scribæ? Sacerdotes? Gentiles? Atqui tum rectè illud Hannonicæ avis in ipsum quadrat: *Hanno est Deus: Ampsingus est Christus.* ô scelus! Verùm ego R. Concilio hanc injuriam exhibeo vindicandam. Quid? Qua tu fronte, qua conscientia, aliorum preces contra legitimum tuum magistratum implorabis. Hæcnè cum juramento Academico conveniunt? Sed quas preces petis? Num diras, ut evertantur quos injustè odisti! Certè talis est precatio hæc, *ex ipso autographo Ampsingi manu-scripto*, exscripta: Ubi quæ Christus contra Judam & Judæos precatur ex Psalm. 109. ipse in proximam evibrat: GOTT mein Ruhm/ schweige nicht. Denn sie hat jhr Gottloses vnd falsches Maul wider mich auffgethan/ vnd redet wider mich mit falscher Zungen. Vnd sie redet giftig wider mich allenthalben/ vnnd streitet

wider

wider mich ohn Vrsach. Dafür daß ich sie liebe/ ist sie wider mich/ Ich aber bete. Sie beweiset mir böses vmb gutes/ vnd haß vmb liebe. Setze Gottlosen vber jhr/ vnd der Sathan müsse stehen zu jhrer Rechten/ Jhrer tage müssen weinig werden. Es müsse der Wucherer außsaugen alles was sie hat/ vnd frembde müssen jhre güter rauben. Vnd niemand müsse jhr guts thun. Der HERR müsse sie nimmer auß den augen lassen/ vnd jhr gedächtniß müsse außgerottet werden auff Erden. Darumb/ daß sie so gar keine barmhertzigkeit hatte/ sondern verfolgte den Elenden vnd armen vnnd den Betrübten. Der Fluch werde jhr wie ein Kleidt daß sie anhabe/ vnd wie ein gürtel/ da sie sich allewege mit gürte. Jch fahre dahin wie ein schatte/ der vertrieben wird/ vnnd werde verjaget wie ein Hewschrecken. Meine Knie sind schwach/ vnnd mein fleisch ist mager/ vnd hat kein fett. Stehe mir bey HERR mein GOtt/ hilff mir nach deiner gnade/ das sie innen werde/ daß dieß sey deine Hand/ daß du HERR solches thust. Hæc ad Personalia: in quibus si alicubi durius locutus cuipiam videri possim: Is noverit & de Ampsingo verum esse: quod qui quæ vult dicit, quæ non vult, audiat.

INDEX

ERRORUM Theologico-
rum sive articulorũ
aut etiam, si mavis, Ca-
thech smi Ampfingani.

I. In decalogo

De ejus distributione.

Præceptum quartum de honorandis parentibus est in ordine Quintũ Nast. 30. Idem sentiunt Calviniani, Photiniani & Arminiani.

De Ampfingi bonis operibus juxta singula præcepta decalogi factis, nunc nihil dicam. Forte loco commodiori reservabuntur.

II. De Symboli Apostolici articulo 1.

1. Imago Dei fuit supernaturale De donum. Quod colligitur ex Nasturtij p. 10. 11. inprimis 12. & 16.

2. Notitia Dei Naturalis post lapsum est gratiæ supernaturalis donum. p. 16.

3. Hominis post lapsum quædam actiones sunt purè naturales (hoc est, peccato non infectæ) quædã supernaturales; ut cognoscere Deum ex igniculis Naturæ lapsa: quædam præternaturales, quales sunt actiones omnes peccato infectæ, pag. 10.

De Providentia.

1. Affingit nostris Ecclesiis dogma absolutæ necessitatis 2. fatum stoicum: quod denegamus voluntati non-conversæ libertatem in spiritualibus. Nasturt. p. 17. 20.

In secundo articulo supponitis supponendis, D. Ampfingus adhuc servat errores de unione duarum N. in Christo, de cõmunicatione idiomatum &c. item de ses-

sione negata ad dextrã omnipræsentis regiminis Christi juxta humanã Naturam in cœlo & in terra. Contrarium enim nunquam sentire se demonstravit.

In tertio articulo, supposito primo fundamenti loco, negat.

1. Peccatum originis, dum Christianorum infantes negat filios iræ: quia sint templa spiritus sancti. Intimat. 4. Feb. affix.

2. Infantes gentilium ait esse filios iræ ob peccatum originis & carentiam divin fœderis. Nasturt. pag. 30.

3. Infantes nõ sunt filij iræ (ait, ante baptismũ) quia tollitur ab illis ira Dei per regenerationem Nasturt. p. 3 .

4. Anima rationalis circiter 40. diem cœlitus infunditur. In scripto contra Dn. M. Christianum Michalis.

2. Liberum arbitrium in spiritualibus extollit.

Na 1. fabricatur Ampsingus Quinq; *diversos status hominis 1 integritatis ante lapsum in supernaturalibus. 2. Purorum naturalium & post lapsum. 3. Peccati in actionibus præternat. 4. Reparationis. 5. Consummationis in Vita æterna. Quò collimat. p. 10. Nasturt. vide Ant d. c. 2.*

2. Non habet homo judicium rationis per se, qua naturaliter, est idoneum ad actus pietatis proximè. (N. B. proximè) Nam remotè habere cũ Bellarmino non diffitetur: sed interveniente ea gratia supernaturali. Nasturt. p. 13.

3. Ignoculi (notitia Dei naturalis) non sunt sine

Deo,

Deo, nec sunt naturales: sed sunt supernaturale Dei donum gratiosum, datum in ipsa creatione Nasturt. p. 12.

4. Hierosolymitan habebāt gratiam supernaturalem prævenientem, Nasturt. pag. 17. & seqq. Quæ præveniens gratia complectitur Gratiam creationis (notitiam Dei naturalem); Gratiā excitantem & Gratiam adjuvantem. Nasturt. p. 4.

5. Omnis gratia DEI (hæc Ampsingana; quæ etiam notitiam Dei naturalem includit) habet à parte DEI finem salutarem, Nasturt. p. 7. ita ut concurrat ad conversionem. p. 4. & 5.

6. Voluntas est libera, quæ potest concurrere cum gratia præveniente. Nasturt. p. 6.

7. Gratia præveniens complectitur igniculos supernaturalis gratiæ, (hoc est, notitiam DEI naturalē;) Gratiam excitantem & gratiam adjuvantem. Nasturt. p. 4.

8. Gratia (sive igniculi notitiæ DEI naturalis) ad salutem ut causa concurrit. Intimat. 4. Feb. affixa. Nasturt. p. 1[illegible].

9. Illis homo ita potest uti ad salutem & ad respiscentiam deduci, ut sit inexcusabilis. Antid. c. 2. Intim. 4. Feb. affixa.

10. Homo in conversione sese non habet merè passivè, sed etiam activè. Nasturt. p. 16. & seqq.

11. Posita gratia præveniente potest voluntas sese convertere vel conversionem intermittere. Nasturt. p. 16. 19.

12. Syndrome & concursus gratiarum illarū, quas gratia præveniens suo complexu comprehendit, est instar fomitis ad ignem spiritus S. in conversione, cōcurrente

nova ejusdem gratia ad recipiendum. Nast. p. .

13. Cum Vorstio & Arminianis notitiam Dei naturalem & gratiã Evangelij in conversione cõjungit. Prog. 11. April. Affixo. vide Antid. c. 2.

III. Contra veram doctrinam de justificatione fidei, ubi notentur hæc.

1. Vocabulum Gratiæ in articulo justificationis non in forensi significatione, sed pro qualitate accipiunt. Nulla n. gratia Bellarminiana Arminianaq; est forẽsis significationis.

2. Gratia justificationis est gratia gratũ faciens, sive qualitas nobis inhærens. Nasturt. p. 7. Quæ est etiam opinio Arminianorum & Jesuitarũ.

3. In regeneratione sunt actus quidam diversi, quorũ primi sunt imperfecti, posteriores perfecti. Prog. 11. April. affixo & in scripto cõtra Dn. M. Christ. Michaelis. Qua ratione justificatio gradibus quibusdã Qualitatũ ad perfectionem majorem posset indies ascendere.

III. De Invocatione & precationibus.

Cum non rectè sentiat Ampsingus de Christi persona & fidei justificatione: nec Christum, adeoq; nec totã SS. Trinitatem recte invocare potest.

In specie notetur 1. precatio ipsius in proximã evibrata. 2. vota contra Theologos & reverendũ concilium. vide Antidoti lit. L. 4. a & b.

IV. De sacramentis in genere.

D. Ampsingium sacramentorum essentiam tantum in signis & significatione

ficatione citra rerum cœlestium realem unionẽ, ponere ex ipsius tribus dissp. à filio ejus publicatis Lugduni Batavorum est notum p. 188. opinioni illi eũ nondum mississe repudium ex Intimationibus & Nasturtio satis liquet.

De Baptismo in specie.

1. Regenerationẽ, quam fingit primò in utero, ac postea alio modo fieri, confert huic sacramentariorũ similitudini, dicentium: Regiæ largitiones, quam primum concessæ sunt, sine controversia ad nos pertinent: postea tamen adduntur obsignationes, ut Regis voluntas, si sit opus, aliis testata esse possit. Nasturt. pag. 24. Vult igitur regenerationem in utero factam, tanquam donum Regiũ in baptismo infantilus, & in S. Domini cœna adultis tantu obsignari, tanq. signis gratiæ. Conf. & arumenta Amsingij in Admonitione pa. 116. & seqq. eximinata & in tractatu Ampsingano cõtra Anabaptistas edito disp. 2. Nasturt. p. 24. Progr. 28. Octob. affixo.

2. Infantes, inquit, nõ possent baptizari nisi jã ante essent regeniti. Progr. 4. Feb. Affixo.

3. Rejicit sententiam nostrarum Ecclesiarum, quod infantes in utero & ante baptismum extincti, salventur immediatè; videl. rejecto ordinarij ministerij Ecclesiæ & baptismi, quo medante alij justificantur & salvantur Progr. 4. Feb. aff. & Nasturt. p. 37.

4. Infantes non credunt nisi potentia & inclinatione ad fidẽ. Prog. 6. Jan. affix. Nast. p. 37.

5. Infantes regenerentur in utero & rursus in bapt. smo. Nasturt. p. 24.

6. Loca scripturæ de Bapt. smo loquentia pertropum sacramentarii enervat. In Admonitione p. 114. & seqq. In tim. 28. Octav. affixa. & Diss. 2da contra Anabapt.

7. Non ferendum, ait, axioma, Deus nobis præscriptis salutis media, non sibi. in Prog. 4. Feb. affixo.

8. Negat infantibus fidelium patere aditum ad bapt. smum immediatum. Mediat. sunt, inquit, remissio peccatorum & sanctificatio, quæ illis in bapt. smo obsignatur, renovantur, repetuntur & de novo dantur. Prog. 4. Feb. affixo. Nasturt. p. 37.

II. Rerum præcipuarum.

Actiones sunt suppositorum, l. 1. G. 6.

Actiones purè naturales supernaturales, & præternaturales apud Ampsingum lit. D. 5. & seqq.

Actiones peccato infectæ sunt naturales. lit. e.

Actiones absolutæ necessitatis & actiones liberi admittunt medium. lit. G. 2.

Actionis voluntatis nõ conversæ & conversæ est discrimen lit. G. 3. Deus ad eas actiones influxus. lit. C. 4.

Ampsingus qualis p. 1. eius raus B.

Docet hominem sese ex igniculis notitiarum naturalium modò partialiter modò totaliter posse convertere. D. 3. & 4.

flagellat Philippum Melancht. & Augustanam confessionem. D. 5. Ampsingi & vorstii collatio. E. 3. Pelagianizat. E. 6. & G. 1. quos falsò accusat. F. 8. mutat ratione sua argumenta ex schola Arminia-

Arminianorum G.6.8. carpitphrases, ubi non potest respondere lit. H. statuit conversionem Enthusiasticam, supponit infantes non necessario indigere baptismo; ibid. divellit ministeriũ sive verbum & gratiã fidei, ibid. Est inconstans. lit. H. 6.7. præbuit scandalum publicũ publicè tollendum, lit. I. proscindit Theologos nostros, I. 3. nescit testimonij definitionem l. 5. Intimatorem falsò ignominiosum nomen arbitratur I. 5.6. Quæ præterea commisit, subinde postea usq; ad finem deteguntur.

Animalis homo quid sit, E. 5

Anima non est triplex. H. c.

Arminianorũ exceptiones de similitudinibus F. 4.

Arminianorum & Ampsingi cum Pelagio consensus lit. H. 8 & G

Argumentum ex Aug. Confessione defenditur D. 2. & 4. Asinus rudens Ampsingi Arcades l. 2. Aug. Confessionis verborum, sensus. D. 4. & 5. Ei verè contrariatur Ampsingius, ibid. & sub ea latitant calviniani, lit. L.

Axioma qui te creavit sine te, nõ te salvat sine te, G. 6

B

Baldvvini literæ lit. K. Battologus L. 1. Blax, bliteus, lit. L.

C.

Calviniani quam & quomodo recipiant August Cõfessionem, lit. L. Crepitaculum. R 8.

Christiani olim asinarij vocati. L. [illegible] qua occasione, ibid asinina ruditus illis objecta, Clotzicum lit. L. Collyrium, K. [illegible]

Contradictionũ leges ignorat Ampsing. H.

Conversio nõ est ex notitiis naturalibus lit. E. 8. sed soli Spiritus Sopus lit. F.

Cor lapideum F. 4. & 5. de eo metaphoræ violentæ F. 7.

D.

Distinctio Ampsing petit principiũ. lit. E. [illegible] & 7. Donũ & gratiæ distinctio. lit C. & E. 4.

E.

Enthusiastæ H. 4. Expracticare. K. 8.

F.

Fur Prædestinatus Ampsingi G. 6.

G.

Gratiæ distinctionum usus apud August. & Patres. B. 3 abusus apud Pelagianizãtes ibid B. [illegible]. Gratia præveniens lit. B. 3. præparans lit. B. 4.

quas

quas partes præparet ibid. Est solius Dei opus ibid. lit. B. 4. cooperans lit. B. 5. ejus explicatio ex Augustino. B. 5. 6.

Gratiæ ex Bellarm. descripsit Ampsingus. b. 7. veræ gratiæ non gratiarum distinctiones lit. b. 6.

Gratiæ distinctiones Arminianæ considerantur lit. b. 7. & seqq. usq; ad lit. D. 2. Ampsingæ argumenta pro cõversione ex notitijs naturalibus. D. 2. 3.

Gratiæ Ampsingianæ scintillæ pertinent ad Naturam, lit. D. 6. Non sunt salvificæ, E. 3. 4. ejus Ambiguitas. E. 3. & 6.

H.

Holophanta lit. L. 3. b. Homero-mastix lit. I. 3.

Homo deterior lapide in conversione. G. 4. integer anima & corpore cõcipitur. H. 4. Infantis regeneratio non fit ordinariè, nisi in baptismo. H. 5.

I.

Incredulitas sola damnat. H. 8.

Igniculi naturæ non sunt species gratiæ; E. 7.

Imago Dei non erat supernaturale donum D. 8.

Ignominiosa nomina. lit. L. 6. & 7.

Infantes an sancti nascantur, lit. H. quando regenerentur, H. 2. cur sint peccatores H. 8.

Inimicitia naturalis & casualis. F. 2. 3.

Intimator est vox honorifica lit. I. 5. 6.

Iudæi colluerunt non vitulas, sed vitulos, eosq; integros, non capita. lit. L. 3.

L.

Lites (ut & scandala) sunt publicæ aut privatæ: quando ad utrasq; sit accedendum aliis lit. I. 1. 2.

Lutheri locus ex cathechismo defenditur, E. 4. & G. 7.

M.

Melanchthon quis & qualis I. 3. 4. nostrorum testimonium de eo. lit. I. 4. 5.

Mattaologia lit. K. 5. & L. 7.

N.

Nasturtium lit. b. 2. & K. 3. 4. Notitiæ Dei naturales; E. 2. Necessitatem absolutam rejicimus; quid supponat. G. 2

O.

Orgia Bacchi lit. 3. B. Orcinianen lit. I. 7.

Patitur

P.

Patitur voluntas in conversione, G. 3. 4. 5. ex passione ejus non sequitur absoluta necessitas, G. 2. passiva capacitas G. 5.

Peccatum quale adjacens D. 6. F. 2. ejus remittendi medium est baptismus, H. 5.

Pelagij & sequaciũ Atque Ampsingi errores. c. 4. toto H. 8.

Pomerani locus. H. 4. Promissio fœderis non salvat nisi applicata. lit. H. 8.

Proverb. 26. 5. lit. K. 5.

R.

Regeneratio infantum fit ordinarie non nisi in baptismo. H. 5.

S.

Status controversiæ in quæstione de conversione ex notitiis Dei naturalibus c. 2. D. 4.

Status hominis an quintuplex. D. 6. status purorum naturalium lit. D. 7.

Similitudines & phrases ab Arm. corruptæ F. 5. 7.

Spermologus lit. L. 2. σπερμολόγος lit. K. 4. sycophanta lit. 2, 3, b.

T.

Theologi nostri lit. I. 2. b. exagitantur lit. I. 3. 4.

Testimonij primaria requisita lit. I. 5.

V.

Vesca aranearum lit. K 7.

Voluntas non est libera c. 3. status controversiæ D. 8. Argumenta nostra. F. 2. non concurrit activè ad conversionem, ibid. qua inimicitia adversetur Deo. ibid.

Voluntas nõ est causa conversionis c. 5. G. 2. an se habeat passivè G. 4. 5.

Z.

Zoilus sophista quis lit. I. 3. b. est cruci affixus ut Homero- mastix ibid.

Si par pari referre velle, possem D. Ampsingo indicem errorum Grammaticorum, Logicorũ, Ethicorum sive vitiorum, ut, mendaciorũ calumniarum, convitiorũ &c. exhibere: sed nõ dignor homine ulteriori responso, nec stulto juxta stultitiã respondebo, ne ipsi similis evadam. Prov. 26. 5. Tu L. B. salve & vale.

Anno
MeDICUs InIqVUs nUgatUr.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730407276/phys_0174
DFG

Arminianorum G.6.8. car-
pitphrases, ubi non potest re-
spondere lit. H. statuit con-
versionem Enthusiasticam,
supponit infantes non ne-
cessario indigere baptismo;
ibid. divellit ministeriū sive
verbum & gratiā fidei, ibid.
Est inconstans. lit. H. 6.7.
præbuit scandalum publicū
publicè tollendum, lit. I. pro-
scindit Theologos nostros, l.
3. nescit testimonij definitio-
nem l. 5. Intimatorem falsò
ignominiosum nomen arbi-
tratur l. 5. 6. Quæ præterea
commisit, subinde postea
usq; ad finem deteguntur.
Animalis homo quid sit, E. 5
Anima non est triplex. H. c.
Arminianorū exceptiones
de similitudinibus F. 4.
Arminianorum & Am-
psingi cum Pelagio consen-
sus lit. H. 8 & G
Argumentum ex Aug. Con-
fessione defenditur D. 2. &
4. Asinus rudens Ampsing
Arcades l. 2. Aug: Confessio-
nis verborum, sensus. D. 4. &
5. Ei verè contrariatur Am-
psingius, ibid. & sub ea lati-
tant calviniani, lit. L.
Axioma qui te creavit s
ne te, nō te salvat sine te, G.

lit. K. Bat-
x, bliteus,
m & quo-
August Cō-
Crepitacu-
im asinarij
occasione,
itus illu ob-
lit. L. Colly-
leges igno-
ex notitiis
E. 8. sed solij
lit. F.
F. 4. & 5. de
olentæ F. 7.
mpsing petit
. & 7. Donē
tio. lit C. &
4. Expracti-
F.
natus Amp-
ctionum usus
& Patres. B. 3
agianizātes
a præveniens
ans lit. B. 4.
quas